Utrecht University Library
Partner in Science
Universiteit Utrecht

Dissertatio theologica de Jesu Christi eloquentia, oratori sacro imitanda

https://hdl.handle.net/1874/322926

2

DISSERTATIO THEOLOGICA

DE

JESU CHRISTI ELOQUENTIA,

ORATORI SACRO IMITANDA.

DISSERTATIO THEOLOGICA

DE

JESU CHRISTI ELOQUENTIA,

ORATORI SACRO IMITANDA,

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

BART. JAC. LINTELO DE GEER,

Phil. Theor. Mag., Litt. Hum. et Jur. Doct., Prof. Extraord.,

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET

VENERANDAE FACULTATIS THEOLOGICAE DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS

SUMMISQUE IN THEOLOGIA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO AC SOLENNI EXAMINI SUBMITTIT

GUILIELMUS BERNARDUS JOHANNES VAN EYK,

Rheno-Trajectinus.

A. D. XXIV M. MARTII A. MDCCCLI, HORA I.

Trajecti ad Rhenum,

APUD L. E. BOSCH ET FILIUM,

Academiae Typographos.

MDCCCLI.

DISSERTATIO THEOLOGICA

DE

JESU CHRISTI ELOQUENTIA,

ORATORI SACRO IMITANDA,

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

BART. JAC. LINTELO DE GEER,

Phil. Theol. Mag., Lit. Hum. et Jur. Doct., Prof. Hasenoeb.,

NEC TUM

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

SEU

VENERANDAE FACULTATIS THEOLOGICAE DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS

SUMMOSQUE IN THEOLOGIA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO AC SOLENNI EXAMINI SUBMITTIT

GUILIELMUS BERNARDUS JOHANNES VAN EYK,

Rhenoterapeutae,

A. D. XXIV M. MARTII A. MDCCCLI, HORA I.

Trajecti ad Rhenum,

APUD L. E. BOSCH ET FILIUM,

Academiae Typographos.

MDCCCLI.

PARENTIBUS. OPTIMIS. CARISSIMIS
NEC. NON. PATRUO. DILECTISSIMO
HENRICO. JACOBO. VAN. EYK
HANC
DE. JESU. CHRISTI. ELOQUENTIA
ORATORI. SACRO. IMITANDA
DISSERTATIONEM

AUCTOR
D. D.

PRAEFATIO.

Querelam sexcenties repetitam nolo iterare, me, quum peracto jucundissimo studiorum cursu in eo essem ut conscribendo specimine gradum doctoralem peterem, propter multitudinem rerum, quae omnes, aliae alias ob causas, mihi arridebant, diu dubitasse quodnam eligerem argumentum, cum disciplinae theologicae, qualis hodie est, tum tenuitati meae accommodatum. Candide potius fatendum esse arbitror eloquentiam sacram e Jesu exemplo petitam admodum mihi semper placuisse, ut eam pro viribus in dissertatione inaugurali tractare jam olim constituissem. Opus infinitarum paene difficultatum, huic argumento inhaerentium, improvidus juvenili ardore statim aggressus sum; at profecto in materia elaboranda saepius mihi excidit animus, et paullum abfuit quin a proposito destitissem. Horatii autem sententia dimidium facti, qui coepit habet, erectus, omnem

impendi curam ac diligentiam, ut opus inceptum ad finem perducerem. Juvenilis est labor, quem benevolentissimus quisque lector indulgentissime accipiat etiam atque etiam rogo.

His de specimine expositis superest ut dulcissimum grati animi officium exsolvam; et primum quidem ad Vos me converto, Parentes dilectissimi! Quantum Vobis debeam, qui inde ab incunabilis usque ad hunc diem summo amore ac sollicitudine me prosecuti estis, qui nulli labori impensaeve, quibus mea vitae felicitas augeri posset, pepercistis, melius sentire quam verbis exprimere possum. Deum O. M. precor ut, quemadmodum Vos incolumi valetudine adhuc servavit, sic multos annos vos porro tueatur, utque filii erga Vos pietatis ac rerum prosperarum diu laeti adsitis testes. — Tu quoque hoc loco memorandus es, Patrue aestumatissime! Gratum mihi est hoc die palam confiteri, quantam tua monita praeceptaque ad ingenium meum conformandum vitamque recte instituendam habuerint vim.

Vobis igitur, Parentes optimi carissimi ac Patrue spectatissime! gratias ago quas habeo maximas; accipite has meorum studiorum primitias, ut documento vobis sint, quam grato animo omnia vestra recorder beneficia.

Hoc pietatis gratique animi officio perfuncto restat

mihi, ut Viris clar. quibus in hac Academia usus sum praeceptoribus praestantissimis, gratias pro egregia institutione agam; animo erga ipsos me esse et semper fore gratissimo persuasum sibi habeant, precor. Nominatim autem nuncupandi estis, viri exoptatissimi Bouman et Royaards, qui vestra humanitate et benevolentia in aeternum meum vobis conciliastis amorem; variarum disciplinarum a vobis traditarum singulorumque in me collatorum beneficiorum nunquam me fore immemorem confido.

Tandem ad Te perveni, praestantissime Vinke, Promotor aestumatissime! qui hisce praesertim diebus tot tantaque mihi praestitisti beneficia. Verba mihi desunt ad laudes Tuas merito celebrandas. Utinam aliquando opportunitas mihi offeratur probandi, quam arctissimo amoris vinculo Tibi sim devinctus. Mihi, cursum academicum ingresso, Tu jam aderas dux atque amicus, Tu patris officiis erga me functus es summaque diligentia meas semper res curasti. Verbis exprimere quid sentiam nequeo, at unum adhuc est quod Te rogem: discipulum tuum, quem tantis ad hunc usque diem affecisti beneficiis, in posterum quoque tua dignare amicitia; pergas, precor, vir clar.! me amare ac consiliis tuis monitisque rectam monstrare viam.

Sic D. O. M, in societatis Christianae salutem, in disciplinarum Theologicarum emolumentum, in Academiae Rheno-Trajectinae decus, in studiosae juventutis gaudium, in patriae nostrae gloriam, Te Collegasque Tuos clarissimos diu servet incolumes. Faxit idem ille Deus ut vobis, Praeceptoribus multis nominibus pie colendis! fausta quoque ac felix contingat vita.

Antequam huic praefationi finem imponam, paucis amicos meos palam compellare, iisque grati animi sensum exprimere volo. Vivite felices, Amici conjunctissimi! meique memores! Ac vobis inprimis, quibuscum sodalitio A. A. A., adscriptus sum, persuasum sit, me vestrum nunquam fore immemorem, eademque grata mente semper Academica stadia recordaturum esse, qua vestra familiaritate atque usu frui mihi licuit. En dextra fidesque, Juvenis Carissimi! Intactum maneat nostrae praesertim amicitiae vinculum, meque amare pergatis.

TRAJECTI AD RHENUM.

D. XVI. M. MARTII. A. MDCCCLI.

DISSERTATIO.

Οὐδέποτε οὕτως ἐλάλησεν ἄνθρωπος, ὡς οὗτος ὁ ἄνθρωπος.

Johannes.

Ὑπόδειγμα ἔδωκα ὑμῖν.

Christus.

Voorwaar, hij is de ware arbeider in het Koningrijk der Hemelen niet, die zich een minder voorbeeld ter navolging voorstelt, dan dat van den Heer, dien hij predikt.

van Oosterzee.

DISSERTATIONIS CONSPECTUS.

INTROITUS.

Pag.

§ 1. Argumenti momentum. . . . . 3.

§ 2. Argumenti difficultas. . . . . 21.

§ 3. Tractandi ratio. . . . . 28.

PARS PRIMA.

DE JESU CHRISTI MENTE AC CONSILIO ORATORI SACRO OBSERVANDIS.

Caput Prius.

De Jesu Christi Mente ac consilio. . . . . 37.

Pag.

Caput Alterum.

De Oratoris Sacri officio laudatam Jesu Christi mentem ac consilium observandi. . . . . 48.

PARS SECUNDA.

DE JESU CHRISTI ELOQUENTIA, ORATORI SACRO IMITANDA, RATIONE HABITA MATERIAE, IN EJUS ORATIONIBUS ELABORATAE.

Caput Prius.

De orationum, a Jesu Christo habitarum, argumento, oratori sacro imitando.

Sectio Prior: De orationum a Jesu Christo habitarum argumento. . . . . 67.
Sectio Posterior: Quatenus hac in re Jesu Christi exemplum oratori sacro sit imitandum. . . . . 77.

Caput Alterum.

De Materiae ad auditores Accommodatione, in Jesu Christi orationibus conspicua, Oratori Sacro imitanda.

Sectio Prior: *Οἰκονομία* sive *Συγκατάβασις*, in Jesu Christi orationibus perspicua.
§ 1. Praemonenda. . . . . 88.
§ 2. Jesu Orationes in Synagogis habitae. . . . . 94.
§ 3. „ „ „ Templo „ . . . . . 102.
§ 4. „ „ ad Discipulos suos „ . . . . . 110.
§ 5. „ „ „ mixtam auditorum frequentiam diversis temporibus habitae. . . . . 118.
Sectio Posterior: Quatenus hac in re Jesu Christi exemplum Oratori Sacro sit imitandum. . . . . 124.

Pag.

PARS TERTIA.

DE JESU CHRISTI ELOQUENTIA, ORATORI SACRO IMITANDA, FORMAE, QUA EJUS ORATIONES SUNT INDUTAE, RATIONE HABITA.

Praemonenda.

De vinculo, quod dispositionem inter et dictionem intercedit. . . . . 139.

Caput Primum.

De Populari exponendi ac dicendi Ratione.

§ 1. Quid vulgo significatur populari exponendi dicendique ratione. . . . . 149.
§ 2. De populari Jesu Orationum forma. . . . . 155.
§ 3. Quatenus haec forma Oratori Sacro sit imitanda. . . . 181.

Caput Alterum.

De Biblica exponendi ac dicendi Ratione.

§ 1. De biblica Jesu Orationum forma. . . . . 193.
§ 2. Quatenus haec forma Oratori Sacro sit imitanda. . . . 208.

Caput Tertium.

De Oratoria exponendi ac dicendi Ratione.

§ 1. De oratoria Jesu Orationum forma. . . . . 217.
§ 2. Quatenus haec forma Oratori Sacro sit imitanda. . . . 243.

Pag.

PARS QUARTA.

DE JESU CHRISTI ELOQUENTIA, ORATORI SACRO IN PRONUNCIATIONE SIVE ACTIONE IMITANDA.

Praemonenda. . . . . 259.

Caput Prius.

De Jesu Christi Actione secundum ea, quae nobis Evangelistae tradiderunt, indicia.

§ 1. De voce ac Pronunciatione. . . . . 267.
§ 2. De Vultu et Gestibus. . . . . 270.
§ 3. De Corporus Habitu. . . . . 278.

Caput Alterum.

Quatenus illa corporis Eloquentia Oratori Sacro sit imitanda. 287.

INTROITUS.

Εἷς ἐστιν ὑμῶν ὁ καθηγητὴς ὁ Χριστός.

Christus.

Quicunque Christum amat, ad Ejus etiam exemplum sese informare studet.

G. J. Vinke: Diss. p. 214.

INTROITUS.

§ 1.

Argumenti momentum.

De Jesu Christi, Domini nostri, Eloquentia, oratori sacro imitanda, expositurus, opus aggredior, quod haud levissimam sane disciplinae theologicae partem sibi elaborandam habet materiam, - eoque pluris faciendam, quoniam potissimum muneris, quod sacrorum Antistiti mandatum est, praxin continet. Primarium enim locum, quem prae aliis Theologiae disciplinis merito sibi vindicat Eloquentia sacra, profecto veritatis luci, qua splendet atque argumenti, quod tractat ponderi, acceptum debet: »Ce sujet," inquit Timon, »est magnifique comme la création, sublime comme Dieu, vaste comme l'espace, infini comme le temps." (1)

(1) *Livre des Orateurs* par Timon (de Cormenin?), Parisiis, 1847. Tom. I. p. 147.

Et vero rem tractat orator sacer, quae sublimitate ac divina dignitate omnia superet. Nemini majore consensu jus conceditur, vehementius ad auditores verba faciendi de una veraque tam vivorum quam vita defunctorum salute, de indefesso animi studio, quo tendant ad infinita, de perfectione denique morali, quae ad vitam aeternam ducat.

Audientes etiam si intuemur, quos habet orator sacer Christianos, partem gregis illius sedentem videmus, quem Servator morte sua ac vita, cruciatibus plena, proprium sibi conciliavit, - gregis, inquam, cujus aeterna salus curae custodiaeque pastoris ab ipso commissa est Domino, - conventum videmus Christianorum, quibus monita praeceptaque salutaria, e sacro suggestu data, cordi sunt eruntque, dum salutem suam non negligit homo. Nimirum hi fidei quasi vinculis ligati ex ejus ore pendent; omnem dubitationem omnemque animi perturbationem, ut mali tentationem, longe a se pellunt; intenti auscultant, ne quid aures fugiat; oratoris argumenta diligenter animo sequuntur, sive pallidae mortis describit imaginem, sive ad vitae adscendit auroram.

Haec vero Eloquentiae sacrae vis ut ubivis cernitur, ita nusquam magis elucet, quam in consilio, quod Orator sacer sibi proponit. Nonne illud est, ut fidem, Deo Christoque habendam, excitet, promoveat, confirmet? Nonne illud, ut proximorum mores magis magisque excolat emendetque? Quid antiquius habet, quam ut sacris Christi praeceptis homines reddat meliores, quae secuti salute fruantur aeterna? — Valeant

igitur, qui abusum, nimis eheu! frequentem, intuentes, universam eloquentiam, ne sacra quidem excepta, prorsus rejiciunt. Haec enim semper a moralibus proficiscitur principiis, quippe quae id tantum efficere studeat, ut salutarem humanae indolis mutationem afferat. Ut autem quamvis hominum actionem, ita etiam eloquentiam sacram legem moralem tamquam normam sequi oportet, neque ullo modo seditiosae demagogorum voces sophistarumque nugae cum ea conferendae sunt. — Est igitur sacri oratoris officium auditoribus persuadere, vel potius veri justique conscientiam illustrare et confirmare, ita tamen, ut secundum normam, divina auctoritate datam, vitam internam aeque ac externam magis magisque conformare studeant, fiantque meliores, sapientiores, vereque beati. Doceat eos orator sacer, non solum vitae gaudia laeto gratoque animo percipere, sed etiam in Dei voluntate acquiescentes. ejusdem ferre vitae calamitates aequo animo. Spem melioris post mortem conditionis alat, ut ad rectam rationem vitae instituendae eos ducat. Quod tamen quum assecutus est, non subsistit: non in breve tantum tempus, sed in aeternum auditorum animos Deo conciliare studet. Verbum Dei eorum animis inseratur, non ut semen, quod in rupibus sparsum terrae inhaerere nequit peritque, sed quod altas agit radices laeteque succrescit. Pia consilia flagitat sacra eloquentia eaque firma, quae per totam vitam vim suam in hominum animis habeant; firmissimo enim veritatis Christianae fundamento nititur. — Hinc causa repetenda, cur in disciplina theologica Eloquentiae

accurata diligentia, pereat oratoris indoles et naturale ejus ingenium corrumpatur. Nihil igitur prodest perfunctoria Christi orationum lectio; quin miserrimus dicendus est, quicunque sine intelligentiae luce praeclarum Magistrum sequitur; quod qui facit, nae ille divinam in se indolem ipse exstinguit! Itaque in hoc quoque orator sacer ingenium suum excolat accurata assiduaque praecipuarum Christi orationum contemplatione. (1)

Denique gravissimam hanc nostram quaestionem dicimus, tum propter difficultatem, quae cum Eloquentiae sacrae studio conjuncta est, tum propter multiplicia, quibus laborat, vitia, licet multa verae eloquentiae sacrae specimina, recentioris etiam temporis, adsint.

Non nostrum est, de difficultate studii eloquentiae pluribus exponere. Ipsa eloquentiae sacrae historia magis id probat, quam nostris probari possit argumentis. Quam pauci enim reperiuntur, qui in hac arte mediocritatem superaverunt! Quam multa sunt vitia, quibus omni tempore plurima eloquentiae opera scatent! Porro. Quot quantaque officia perfecto oratori sunt praestanda! - Scientia multiplex, rerum, quas ingenio percepit, dispositio felix apta-

(1) Cf. Fénelon, *Gesprekk. over de welsprekendheid*, p. 98, et annot. Schrantii ad. h. l., collata cum iis, quae scripsit La Bruyère (*Caractères de la Chaire*) Tom II. p. 165: „L'évêque de Meaux (Bossuet) et le P. Bourdaloue me rappellent Démosthène et Cicéron. Tous deux, maîtres dans l'éloquence de la chaire, ont eu le destin des grands modèles; l'un a fait de mauvais censeurs, l'autre de mauvais copistes."

que, judicium acre subactumque, ars singularis omnia clare, distincte, jucunde enarrandi, denique pectus pietatis in Deum, honestatis, virtutisque amore plenum et altis sensibus praeditum, - hae sunt primariae virtutes, quibus ornatus esse debet, qui boni oratoris laudem assequi velit. - Ad hanc nostram sententiam probandam clarorum virorum effata afferre possimus, quorum auctoritas plurimum hac in re valere debet. (1)

Quae autem universe ad eloquentiam ejusque studium spectant, eadem quoque de sacra eloquentia affirmanda sunt. Perperam enim nonnulli contendunt, nullo opus esse studio, nulla exercitatione, ut quis bonus

---

(1) Cicero, qui ad quaestionem: cur veri perfectique oratores tam pauci inveniantur, respondet, illud praecipue inde esse repetendum, quod nemo possit esse omni laude cumulatus orator, nisi sit omnium rerum magnarum atque artium scientiam consecutus. (*De Orat.* L. I. c. 1-7.)

Ernesti (in *Orat. de Eloq. pectoris*). „Est nimirum majus quid ac difficilius eloquentia, quam quis existimet, qui non ipse ejus comparandae periculum ita fecit, ut sibi per summorum in eo genere hominum, Isocratis, Demosthenis, Ciceronisque vestigia ad eam laudem contendendum putaret" et quae sequuntur. (Vidd. *Opusc. Oratoria* p. 21.)

Heusdius (in *Orat. de ant. Eloq. c. Rec. comp.* p. 19): „Mihi quidem," inquit, „saepenumero de hac arte et tota ejus ratione et amplitudine cogitanti, una omnium artium ad tractandum difficillima visa est: visa est omnino, nisi maximâ quadam et peculiari prorsus ingenii exercitatione, ad justam rationem tractari non posse;" caett.

Consull. praeterea, quae scripsit La Bruyère (*Caract. de la Chaire*).

orator ecclesiasticus fiat; perperam Apostolorum exemplum afferunt, qui, quamvis minime ad bene dicendum instituti fuerint, praecepta tamen sua sententiasque satis eloquenter proferre potuerint. Quae quidem opinio iis maxime placet, qui non simplicitatem, sed socordiam quaerunt segnitiemque. »Utinam," praestantissima omniumque assensu digna sunt verba clarissimi oratoris, »a sanctissimo munere, utinam a suggestu sacro arceantur inepti tales atque indocti! Longe alia est nostra ratio, quam quae Apostolorum fuit, ab ipso Jesu Christo institutorum et Spiritus sancti operâ adjutorum, et fallitur, qui eloquentiam sacram alia, quam naturâ, doctrinâ, studio, viâ attingere se posse arbitratur. Doctrinae praesidio instructus ad dicendum accedat orator sacer, esse autem oportet doctrinam ad hoc eloquentiae genus unice accommodatam. Philosophiâ sit imbutus, sine qua non posse effici eloquentem jure Cicero dicit; historiam cognoscat gentium et generis humani, quae ipsi est providentiae divinae spectaculum; ne politicarum quidem rerum prorsus sit ignarus, quarum usus esse potest in ipsius causa magnus; antiquis praesertim literis, omnis verae doctrinae fontibus sit eruditus; critices et hermeneutices artem in interpretandis sacris literis calleat, rell." (1) Num mirum igitur, si tam pauci inventi sunt viri et adhuc inveniuntur, qui vere omnibusque nominibus eloquentes sint? Num mirandum igitur, vel opti-

(1) v. Oordt, Orat. l. p. 9.; coll. v. Hengel, *Oratio de Rel. Christ. disciplina, vera ac nat. Eloq. uberrima nutrice* p. 37–40.

morum oratorum monumenta plurimis laborare vitiis? Sed grato animo fatendum, multos eosque egregios in nostra patria repertos esse viros, qui neglectam jacentemque eloquentiam erigere conati sint. Alias enim Europae regiones si intuemur, Bruyerium si audimus, severum illum Gallo-Francorum sacrae eloquentiae censorem, (1) habemus sane, quod gloriemur Saurino, G. Bonneto, Ravio, Heringa, Borgero, Palmio,

---

(1) „Le discours chrétien est devenu un spectacle. Cette tristesse évangélique, qui en est l'âme, ne s'y remarque plus: elle est suppléée par les avantages de la mine, par les inflexions de la voix, par la régularité du geste, par le choix des mots et par les longues énumérations. On n'écoute plus sérieusement la parole sainte: c'est une sorte d'amusement entre mille autres: c'est un jeu où il y a de l'émulation et des parieurs." Simile fere Bruyerii de suae aetatis eloquentia judicium legimus apud Timon de hodiernis oratoribus sacris Francicis: „Le goût du siècle," inquit, „a gâté les plus célèbres orateurs de la Chaire. L'amour des louanges et de la vaine gloire s'est glissé, comme un serpent, autour de leurs coeurs. Ils ne cachent plus leur vie et leur figure dans l'ombre du sanctuaire.

On les lithographie avec des culs-de-lampe et des vignettes. On les tourne et on les façonne en carton peint. On les coule en plâtre. On les expose aux vitres des boutiques, pêle-mêle avec les chanteuses et les comédiennes. Le Sténographe vient s'asseoir au pied de la chaire pour reproduire leurs discours, comme si le génie des temps antiques les inspirait! Scribe de la parole, éloigne-toi! tes pâles copies ne trouveraient plus de lecteurs. Les temps des Massillon et des Bourdaloue sont passés." (*Livre des Orateurs* I. pg. 150). Conf. ad haec quae scripsit Saint-Beuve sur M. *de Montalembert*, in diario, cui titulus: *Revue de Paris*, nº. 11. a. 1849.

orator ecclesiasticus fiat; perperam Apostolorum exemplum afferunt, qui, quamvis minime ad bene dicendum instituti fuerint, praecepta tamen sua sententiasque satis eloquenter proferre potuerint. Quae quidem opinio iis maxime placet, qui non simplicitatem, sed socordiam quaerunt segnitiemque. »Utinam," praestantissina omniumque assensu digna sunt verba clarissimi oratoris, »a sanctissimo munere, utinam a suggestu sacro arceantur inepti tales atque indocti! Longe alia est nostra ratio, quam quae Apostolorum fuit, ab ipso Jesu Christo institutorum et Spiritus sancti operâ adjutorum, et fallitur, qui eloquentiam sacram alia, quam naturâ, doctrinâ, studio, viâ attingere se posse arbitratur. Doctrinae praesidio instructus ad dicendum accedat orator sacer, esse autem oportet doctrinam ad hoc eloquentiae genus unice accommodatam. Philosophiâ sit imbutus, sine qua non posse effici eloquentem jure Cicero dicit; historiam cognoscat gentium et generis humani, quae ipsi est providentiae divinae spectaculum; ne politicarum quidem rerum prorsus sit ignarus, quarum usus esse potest in ipsius causa magnus; antiquis praesertim literis, omnis verae doctrinae fontibus sit eruditus; critices et hermeneutices artem in interpretandis sacris literis calleat, rell." (1) Num mirum igitur, si tam pauci inventi sunt viri et adhuc inveniuntur, qui vere omnibusque nominibus eloquentes sint? Num mirandum igitur, vel opti-

(1) v. Oordt, Orat. I. p. 9.; coll. v. Hengel, *Oratio de Rel. Christ. disciplina, vera ac nat. Eloq. uberrima nutrice* p. 37-40.

morum oratorum monumenta plurimis laborare vitiis? Sed grato animo fatendum, multos eosque egregios in nostra patria repertos esse viros, qui neglectam jacentemque eloquentiam erigere conati sint. Alias enim Europae regiones si intuemur, Bruyerium si audimus, severum illum Gallo-Francorum sacrae eloquentiae censorem, (1) habemus sane, quod gloriemur Saurino, G. Bonneto, Ravio, Heringa, Borgero, Palmio,

---

(1) „Le discours chrétien est devenu un spectacle. Cette tristesse évangélique, qui en est l'âme, ne s'y remarque plus: elle est suppléée par les avantages de la mine, par les inflexions de la voix, par la régularité du geste, par le choix des mots et par les longues énumérations. On n'écoute plus sérieusement la parole sainte: c'est une sorte d'amusement entre mille autres: c'est un jeu où il y a de l'émulation et des parieurs." Simile fere Bruyerii de suae aetatis eloquentia judicium legimus apud Timon de hodiernis oratoribus sacris Francicis: „Le goût du siècle," inquit, „a gâté les plus célèbres orateurs de la Chaire. L'amour des louanges et de la vaine gloire s'est glissé, comme un serpent, autour de leurs coeurs. Ils ne cachent plus leur vie et leur figure dans l'ombre du sanctuaire.

On les lithographie avec des culs-de-lampe et des vignettes. On les tourne et on les façonne en carton peint. On les coule en plâtre. On les expose aux vitres des boutiques, pêle-mêle avec les chanteuses et les comédiennes. Le Sténographe vient s'asseoir au pied de la chaire pour reproduire leurs discours, comme si le génie des temps antiques les inspirait! Scribe de la parole, éloigne-toi! tes pâles copies ne trouveraient plus de lecteurs. Les temps des Massillon et des Bourdaloue sont passés." (*Livre des Orateurs* I. pg. 150). Conf. ad haec quae scripsit Saint-Beuve sur M. *de Montalembert*, in diario, cui titulus: *Revue de Paris*, nº. 11. a. 1849.

Muntinghio, Clarissio, van der Roest, Egelingio, Kistio, Hinlopenio, Stuartio, Abm. des Amorie van der Hoeven Jr. aliisque bene multis, adhuc viventibus, eximiis oratoribus sacris. Quod autem de Germania judicium tulit Thereminus, ubi, eo monente, iners languidaque jacebat eloquentia, idem illud de patria nostra affirmare non ausimus, èt quia non idoneos hujus rei nos judices esse ingenue fatemur, èt simul, ne clarorum virorum, inter nostrates sacrorum oratorum facile principum, laudibus quidquam detrahere videamur. Sed vel sic tamen, ut sacrae, quae vere dicitur, eloquentiae plures in nostra patria cultores invenire contingat, etiam atque etiam optamus. (1) Nemo autem nobis succenseat, quod nostra etiam qualiacumque (quae quam sint exigua sentimus) conferre conemur, ut neglectui, quo haec Theologiae disciplinae pars jam nimis diu laboravit, tandem aliquando subveniatur, Christumque typum proponamus, qui prae caeteris sacro oratori imitandus detur.

---

(1) Omnium quippe assensu digna esse nobis videntur (Mensingae?) verba: „Niet gaarne zouden wij op onze Vaderlandsche kanselwelsprekendheid het hoogst ongunstig oordeel toepassen, dat Theremin over den tegenwoordigen stand der Duitsche zegt, niet haar bij ons „diep gedaald en in kwijnenden toestand" noemen. Toch is 't oordeel onzer meeste en meest gevierde homileten, dat zij dringend eene wedergeboorte noodig heeft, dat we meer leven bij een geïllustreerd verleden, dan bij eene frissche, krachtvolle jeugd," — et quae sequuntur in diario, inscripto: *Boekzaal der gel. wereld*, m. Sept. a. 1849, pg. 261.

Falsa igitur ista sententia, Apostolos quoque nulla ad suam perfectionem usos esse eloquentia, (1) neminem in errorem inducat; neve, supra dictis bene perpensis, supervacuam, non necessariam, inutilem hanc nostram disquisitionem esse quisquam existimet?

Aegre praeterea multi tulerunt, Domini nostri Jesu Christi eloquentiam tanquam optimum exemplum oratori sacro proponi, variisque de causis varia objecerunt. Eos triplicis generis dicimus adversarios, vel opinione praejudicata ductos, vel quibusdam sacrae scripturae locis fretos, vel denique, qui rationem consiliumque eloquentiae oppugnant.

Quod ad primum eorum genus attinet, hi talem disquisitionem, talem de Servatore nostro, tamquam sacrae eloquentiae exemplo, sententiam contendunt esse profanam, ineptam, immo reverentiae, quam divinae Christi naturae et dignitati debeamus, contrariam. Ut alias ejusmodi pusillas objectiones, ita etiam hanc a simplicioribus, religionis studio imbutis quidem, sed tenuioris judicii Christianis factam esse existimaremus: quod si ita esset, silentio eam praetermitteremus. Sed ecce! viri doctissimi iidemque clarissimi theologi, animum, qui vere religionis sensu praeditus sit, hac Christi commendatione maxime offendi statuerunt.

(1) Cons. ad. h. l. Blair, *Lessen over de Redek. en fr. Lett.* T. II pag. 213,214; coll. Marezoll, *Bestemming v. d. Kerk. red.* p. 48-50.

Quapropter non possumus, quin eam objectionem paulo accuratius perpendamus.

Si autem nostra disquisitio Christi naturae ac dignitati contraria est habenda, tum illud quoque improbandum est, quod Ille habetur populoque proponitur tamquam purissimae humanae virtutis exemplum, tamquam typus perfectionis moralis. At vero nemo est omnium, sive peritus, seu imperitus sit, quin Eum hoc nomine imitandum commendet. (1) Quidni igitur nobis etiam Dominum proponere licet tamquam ducem, quo usus, unusquisque Ejus legatus tuto procedere possit in propaganda ipsa ea veritate, cujus ille auctor fuit sublimis et incomparabilis? Quidni igitur quoque hac in causa orator sacer Eum magistrum et auctorem sequeretur? Ita profecto exemplum nobis reliquit Christus, ut in sacro etiam Euangelio denunciando Ejus vestigia premeremus. Itaque oratoris sacri muneri non modo non contrarium, sed omnino conveniens est, hac quoque in re Christum imitari.

---

(1) Cf. Carl. Aug. Theoph. Keilii *commentatio de exemplo Christi recte imitando*; et praeterea conss. quae dixit Hennicke in libello, cui titulus: *Christus als Vorbild für die specielle Seelsorge*; p. 11: „Wie nun Christus in allen Dingen jedem Christen und namentlich auch jedem Prediger in seinem Amte der leitende Stern auf seinen Wegen sein soll, so kann und soll er uns auch Vorbild für die specielle Seelsorge werden. Er ist uns auch in diesem Werke vorangegangen. Wir wollen ihm nachfolgen! Nur dürfen wir nie des Unterschiedes zwisschen ihm und uns vergessen. Er ist der Herr, wir die Diener; er ist der Bräutigam, wir die Freunde des Bräutigams; er der Brunnen, wir die Leiter und Führer zu ihm."

Consilium enim si reputamus eloquentiae sacrae, quale supra exposuimus, quale a Spaldingio, Oordtio, Marezollio, (1) aliisque expositum probatumque est, cujusvis sacri oratoris officium esse credimus, ut accurate inquirat, qualem hac quoque in re rationem ineundam esse magnus divinusque Magister ostenderit. Num vero simplicius religionis placita illustrare, num melius animos ad fidem Christianam veramque pietatem incitare, num fortius ad agendum impellere, metum injicere, spem addere, hortari denique et consolari possimus, quam Sospitator? Longe abest! Sit igitur Christus, invita ista objectione, nobis exemplo in verbi divini denuntiatione! (2)

Alterum jam in censum veniat argumentum, quod contra eloquentiae in suggestu sacro usum affertur, ductum illud e nonnullis Sacrae Scripturae locis. Religionem enim cum eloquentia conjungi minime posse, quidam volunt, allatis Paulli in utraque ad Corinthios epistola verbis: 1 *Cor.* I : 17, II : 1 sqq. et 2 *Cor.* XI : 6, e quibus efficere posse sibi videntur, eloquentiam ab Oratore sacro alienam esse debere, ac porro ex 1 Cor. III: 7 omnem institutionem esse supervacuam, quod *οὔτε ὁ φυτεύων ἐστί τι, οὔτε ὁ ποτίζων, ἀλλ' ὁ αὐξάνων Θεός*. Germana autem horum locorum interpretatio omnes difficultates

(1) Spalding, *Nutt. v. h. Predikambt.* p. 53 sqq; v. Oordt l. l. p. 12-14, Marezoll l. l. p. 68 sqq.

(2) Quae sententia magnum habet praesidium in Clarissii verbis: „Ik weet wel, dat zommigen hier over anders denken,

plane tollit (1); quam interpretationem qui cognoscere cupit, adeat praeter vulgares commentarios: Marezoll. l. l. p. 58-62; v. Hengel. *Oration. laud.* p. 30 et *Instit. Orator.* 1. § 12. p. 6; - Fénelon: *Gesprekk. over de Welspr.* p. 3, et Schrantii *ann. ad h. l.*

Neque nostra disquisitio ab aliorum improbatione magis tuta erit, qui eloquentiam impugnantes, eam turpis scelestaeque fraudis accusant. Quae quidem criminatio, jam ante Christum facta, ad recentioris aevi eruditos pervenit. Putant enim, illud solum eloquentiam sibi propositum habere, ut animi moveat perturbationes, ut auditores capiat, voluntatem regat, eoque ducat hominem, quo velit Orator. Accusant eam, quod ut scopum hunc attingat, pro ho-

---

en Leeraaren, die van deze kunst bijzonder hun werk maaken, dikwerf verachten. Maar de zaak ligt aan den dag. Wilde Jesus, de Godmensch, de Leeraar der zuiverste Leere, die gewis deze kunst niet behoefde, derzelver hulp echter geenszins versmaaden, maar veel eer zorgvuldig en in al haare kracht steeds bezigen? Wie zijn wij dan, die ons vermoogender dan Hem, waanen, en niet schroomvallig alle middelen ter hand zouden nemen, om ons voorstel, zoo overtuigend, zoo medeslepend te maaken, als ons slechts mogelijk is? Een Leeraar, die hier omtrent anders dacht, ware van ingebeelden waan geenszins vrij te pleiten." *Oratio Sacra de Joan.* VII: 46. pag. 132.

(1) Cf. Heydenreich ad. h. l.: „intelligendum de eximia eloquentia, quae apud Corinthios maximi aestimabatur inde locutio proverbialis: *Corinthia* verba, i. e. perelaborata, meteora orationis. Satis quidem disertus ac eruditus erat Apostolus, ut longe eloquentia ac eruditio ejus distabat ab illa, qua Graeculi isti ac profani delectabantur."

nestis bonisque, vanis saepe fallacibusque utatur artibus, nec moralem curet persuasionem, modo persuadeat. Talis autem artis studium maxime esse improbandum, non est quod moneamus.

Plura sane ad hanc objectionem diluendam attulissemus, nisi ea ab aliis iisque doctissimis viris satis esset explorata, ad quos lectores ablegatos velim. Legatur igitur praesertim Theremini libellus: *die Beredsamkeit eine Tugend*, ubi p. 7, 8 et 9 de hac objectione agit eamque laudatissima sua scriptione impugnat; conferantur porro Lib. I, c. 4. p. 20-26, - c. 8. p. 43-50. Videantur praeterea: Marezoll, l. l. p. 71 et 72; - Van der Palm: *Salomo*, T. IV, p. 342-360; - Fénelon: l. l. p. 30 et 31, p. 39 sqq. et Schrantii annotatio ad h. l.; - Blair: *Lessen over de Redek. en fr. Lett.*, Ed. 3^ae^ Tom. II, p. 100 sqq.; - van Hengel: *Orat. de Relig. Christ. disc.* rell. p. 33 et 34 et *Instit. Orat. s.* § 9. p. 4; - v. Oordt.: *Oratio laud.* p. 13; - Abm. des Amorie van der Hoeven: *Chrysostomus* p. 31, 32; M. de Vries: *Redev. over de heerschappij* rell. p. 27. (1)

(1) Ad h. l. inprimis sunt notanda Clarissii verba: „De waare Welsprekendheid staat, hetgeen waar, goed en heilzaam is, voor; zij ontleent haare kracht van de inwendige baarblijkelijkheid der waarheid zelve: en haar toeleg is alleen, te zorgen, dat de waarheid door de voordracht geenszins verdonkerd, maar veel eer in het licht gesteld, voor het Verstand bevatbaar en van kracht en uitwerking op het Oordeel en op het Hart worde." *Oratio sacra supra jam laud.* p. 109.

Ex quo igitur fonte hae objectiones contra eloquentiae studium manaverint, pro viribus nostris speciminisque ambitu satis ostendisse nobis videmur. — Distorta sane ejus imago vulgo fingebatur; unice ars, nihil aliud, esse credebatur; at »die Beredsamkeit müsse *ihren höchsten Principiën nach*, von Kunst und Philosophie gänzlich getrennt, und als eine rein sittliche Thätigkeit betrachtet werden." (1) Verus, qualem esse eum oportet, orator, non est artifex; opus non vult edere artificiose elaboratum, quod nulla ratione habita scientiae, religionis aut praxeos, animum aesthetice tantum capiat teneatque, sed penitus persuadere cupiat, bonos sensus et consilia excitare studeat. Orator autem, qui non nisi artificiis nititur, evadat praestigiator necesse est.

Eloquentiam igitur oriri inprimis dico e generoso, morali et quasi divino illo, qui homini insit, sensu, (2)

(1) Theremin, *Ber. e. Tug.*, Praef. p. XXXVII.

(2) Cf. Abm. des Amorie v. d. Hoeven, *Redev.* p. 91-93 cujus animadvertenda sunt praesertim haec verba: „Zij (de kroon der welsprekendheid) is alleen voor den waren redenaar weggelegd, wien het vuur der *edelste geestdrift* in den boezem blaakt, en die den *heiligen gloed* zijns harte warm en zuiver in zijne redenen weet uit te storten. *Eene hoogere goddelijke kracht schijnt in hem te werken*, die eene gelijke geestdrift in het hart der hoorders ontvonkt." — Cons. praeterea Theremin, *Dem. et Mas.* vers. belg. p. 28, ubi: „Als men de redevoeringen, die Demosthenes gedurende zijn strijd tegen Philippus hield, gadeslaat, wordt men gedrongen, om het gevoelen te omhelzen, dat het spreken zoo goed als eene handeling is, en indien het daden wil uitlokken, even als de handelingen van den mensch aan de wetten der *zedelijkheid* onderworpen is." Vid tandem ejusdem scriptoris verba pag. 42, alibi.

ut neque vulgaris nec sacra etiam eloquentia infamia unquam sit notanda; quin divinam hominis originem magis quam ulla alia ars ostendit, estque, ut vere dicit Ernestius: »studium sapientiae et virtutis." (1) Quid? quod Therimini subscribimus sententiae, eloquentiam esse virtutem, ita tamen ut artis non plane tollatur notio. (2)

Quae utinam numquam neglecta essent! Profecto objectiones supra memoratae numquam lucem adspexissent, (3) et pro adversariis obtrectatoribusque plures adeo defensores et antistites inter peritos imperitosque invenisset eloquentia, nec sacrae Scripturae effata umquam ad eam damnandam fuissent allata; contra vero, non tantum patefactionis indoli eam omnino convenire, at potius ipsâ commendari ac postulari omnes

---

(1) Orat: *de Eloq pectoris* supra jam laud.

(2) Unice nobis placet ejus sententia, eamque defendendam suscipimus, qualem his verbis explicat: „Indem ich sage, dasz die Beredsamkeit eine Tugend ist, meine ich damit keineswegeS, dasz ein gewisser Grad ethischer Vollkommenheit nun auch schon zur Beredsamkeit hinreichend seij, und alles übrige entbehrlich mache, das sie sich aus Kunst, Gelehrsamkeit und Wissenschaft anzueignen pflegt. Ich meine nur, dasz das Anordnen und Bestimmen dessen, was die Beredsamkeit aus diesen verschieden Fächern in sich hereinzieht, dem ethischen Gesetze vorbehalten bleibt; eben dies aber ist es, was von einem höchsten Princip gefordert wird" et quae p. 24 et 25 sequuntur.

(3) Brevitati studentes duas omisimus objectiones, quae praeter memoratas in medium proferri possent. Eas qui cognoscere cupit, adeat Theremini l. l. - Altera, quae haec est: „quid tandem theoriis proficiamus," refutatur p. 4-6; - altera „eloquentiam una cum antiquorum libertate interiisse," dijudicatur p. 6 et 7.

uno ore contendissent. Quin etiam nemo inveniretur, qui sensui religioso contrarium judicaret, Christum tanquam talis eloquentiae exemplum proponere. Quodsi igitur sacrae eloquentiae notio spectetur consiliumque, (1) quale nos requirimus et supra exposuimus, memoria repetimus jam quae diximus: sacro oratori non tantum convenire, at sanctissimum quoque esse officium, in eloquentiae studio Christum tamquam optimum exemplum intueri.

Ne vero quis existimet, nos verbi divini ministrum Domino summoque Magistro aequiparare velle, aut operis illius ministeriique pretium exaequare cum verbo Ejus, quo nemo in terris unquam praestantius locutus est, - libenter confitemur, exemplum a nobis propositum tale esse, quod vix assequi possimus. Verum ubicunque sermo est de scientiae artisve indole, deque iis, quae ad eas recte colendas requiruntur, quaevis contemplatio nulla est, quae ex perfectissima imagine non ducatur; - quare haec Ciceronis verba nostra facimus: »semper enim quacunque de arte aut facultate quaeritur, de absoluta et perfecta quaeri solet". (2)

---

(1) De quaestione, quid sit Eloquentia s. et quale ejus consilium cff. Heringa, *kerk. Raadv. en Raadg.* rell. T. IV. P. I. p. 156 sqq.; van Oordt, *Or. laud.* p. 8; - inprimis van Kampen, *het kenm. onderscheid der soorten v. Welspr.* p. 13-19, coll. 52 et 134; - Abm. des Amor. v. d. Hoeven, *Joan. Chrysostomus*, p. 31—35; - van Hengel, *Instit. Or. S.* p. 44 sq. et van Herwerden, *J. C. in de Bergrede beschouwd*, p. 8 et 15, aliique.

(2) *De Orat.* III. 22.

Ubinam vero Eloquentiae sacrae operam navantes accuratiorem normam ducemque meliorem inveniamus? Quo clarius igitur absoluta perfectionis imago animo nostro obversatur, eo celerius certiusque in perfectionis via procedimus, (1) etiamsi semper progredienti sublimior videatur illa, - etiamsi virium tenuitatis sibi conscius animum pene despondeat, nec unquam excelsae huic imagini se similem fore credat, non tamen gradum retro ferre ac talentum in terra abscondere licet. Ubi Christo duce verba facit orator sacer, - ubi eadem, quae Dominus, in dicendo ei est mens, - ubi eodem, quo Sospitator, tendere laborat, ea tantum via progrediens, quam Ille aperuit, - tum demum gaudebit suae ipsius conscientiae, auditorum, et quod maximum est, Illius approbatione, qui ad suos dixit legatos: ὑπόδειγμα ἔδωκα ὑμῖν. (2)

Ὥστε ἕκαστος βλέπῃ, πῶς ἐποικοδομεῖ ἐπὶ τὸν θεμέλιον τὸν κείμενον!

§ 2.

Argumenti difficultas.

In Jesu Eloquentiae, Oratori Sacro imitandae expositione, ridicula profecto esset arro-

(1) Quamvis Saint-Beuvium (*Revue de Paris* 1849 m. Nov.) impugnare nolimus, dicentem: „Tout orateur, qui l'est véritablement, sent toujours, combien il lui reste de progrès à faire pour atteindre à cet idéal, que les plus grands eux-mêmes ont désespéré de réaliser," huic tamen imagini ut propius accedat, ardentissimum sit cujusvis oratoris votum laborque indefessus.

(2) *Joa.* XIII: 15.

gantia, si juvenis, mediocri tantum doctrina instructus, ipsam imaginem divino splendore decoram, exprimere posse existimarem; eoque magis cum latissimum dissertationis ambitum intuenti, jam statim plurimae sese offerant difficultates. Nos quidem virium tenuitatis nobis conscii animumque despondentes incepto jam destiteramus, ad quod numquam rediissemus, nisi dulcissimam animo spem foveremus, fore, ut aliorum ingenia nostris conatibus aliquando ad librum edendum impellerentur, qui majore doctrinae copia, acriore judicio, clariore intelligentiae lumine, vividioribusque orationis coloribus huic meae commentationi longe sit praeferendus, - quique non tantum Theologorum studiis optime inserviat, verum etiam privatorum hominum, quotquot bonorum delectentur librorum lectione, ingeniis incredibilem afferat utilitatem. — Sic igitur relictum iter rursus ingredimur, spe illa nitentes; imprimis vero quod nobis persuasum est, nos, si cum magna animi cupidine assiduam conjungamus diligentiam, Summo favente Numine, plures difficultates esse sublaturos, quae primo adspectu me deterrebant.

Multae variaeque sunt difficultates, quae accurate de Christi eloquentia, nostrae aetatis Sacro Oratori imitanda, exposituris se nobis offerunt. Unam tantum alteramve earum hoc loco attingemus; ac primum quidem eam, quam ipsa res sponte praebet. Argumenti sublimitas accuratissimam postulat in elaborando operam. Et vero si ita nobis esset absol-

venda, ut ea non essemus inferiores, de felici successu prorsus desperaremus. Atqui, quod vulgo necesse est, ut rem, quae tractanda est, ex edito quasi loco firma certaque mentis acie adspiciamus, id hac in re nequaquam fieri potest; quin tenuitatem nostram ibi maxime sentimus, ubi haud levi virium nostrarum opus est intentione ad egregium illud sublimeque exemplum in clariorem lucem proferendum. Attamen, ne obscuremus splendorem incomparibilis Ejus magnitudinis, quem adorare, quam vel e longinquo sequi facilius est, pauca tantum praestantissimae imaginis lineamenta praebere volumus.

Aliam difficultatem affert cum fontium habitus, e quibus Conservatoris eloquentiae specimina haurienda sunt, tum parva subsidiorum copia, quae nobis in congesta materia elaboranda praesto est.

Quod primum attinet ad subsidia, paucos, imo nullos fere de nostro argumento consulto egisse videmus, ita ut in itinere, quod ingressuri sumus, nulli fere futuri sint duces, qui prohibeant, quominus itineris ignorantia a recta via aberremus. - Quotiescunque enim sacrae eloquentiae historiam conscribere conati sunt, aut universe tantum et quasi ἐν παρόδῳ de nostra quaestione mentionem fecerunt, aut si multi multa de Christi doctrina ac docendi ratione scripserunt, Ejus tamen eloquentiam missam fecerunt (1). Ubi vero

(1) Unus, quantum nobis saltem notum est, qui hac de re egit, fuit clar. vir Clarisse in *Oratione Sacra* de *Joa* VII: 46, antea jam. laud. quae oratio inserta est Vol. I. ejus *Oratt. s.s.* p. 105, Rheno-Traject. 1801.

Christus oratori sacro tamquam exemplum commendatur, unam alteramve Ejus orationum exponendam sibi sumserunt, ita tamen, ut ab ea ad totam Christi Eloquentiae imaginem non adscenderent. Nec tamen ingrati esse volumus, et quidquid haec nostra scriptio habet boni (quod qualecumque sit, sentio!) hoc iis debere lubenter fatemur; quamquam haud diffitendum, non illam nos, quam spectamus invenisse: accuratam nempe diligentemque Christi eloquentiae expositionem, vel omissa hac sacro oratori commendatione.

Nihil igitur fere nobis aliud consulendum restat nisi Evangelia canonica, quatenus Christi orationes in iis litteris consignatae sunt. Hoc vero ipsam fontium inopiam arguit. (1) Primum

---

(1) Copiosius hoc exposuit Clarisse, cujus verba hic laudare juvat: „Inderdaad", inquit, „gelijk het altijd moeilijk is, om over de welsprekendheid van zulke Mannen te oordeelen, die, reeds lang overleden zijnde, bij hun mondeling voorstel, door ons niet aangehoord kunnen worden, en wier Redevoeringen door hen zelven in schrift niet zijn nagelaaten, vooral, wanneer wij, van geschiedkundige narichten omtrent dezelven, geenen overvloed hebben: — zoo gelden deze zwarigheden hier te meer; daar wij, noch van Jezus uitwendig gelaat, houding, stem en voorkomen, anders dan bij gissing, — noch van de woorden en spreekwijzen, door Hem gebruikt, anders dan volgends het bericht zijner Leerlingen, en dat nog vervat in eene Vertaling zijner Redenen, waarbij altijd zooveel van het fijne en *naïve* verloren gaat, — kunnen oordeelen; en de aanmatiging geenszins wagen, van, altijd en overal, in die zuivere, verhevene, godlijke gevoelens, welke voor zijn groote ziel zweefden, te kunnen indringen." *Orat. s. laud.* p. 106.

enim non omnes, sed perpaucae tantum Christi orationes ad nos pervenisse videntur. Nam probabile est Eum saepe multumque trium annorum spatio locutum esse, - variisque modis praeclaras suas sententias tradidisse. Dein valde dubitandum, num eas, quas nobis sacra Evangelia tradunt orationes, integras acceperimus; saepe enim loci electi tantum esse videntur. Praeterea etiam quaerere possumus, an non ex variarum orationum partibus, prouti argumenti similitudo ferret, totum quoddam confecerint Evangelistae. - Quum igitur minus accuratis limitibus circumscripta sint, quae exploranda suscepimus, saepe fit, ut certo affirmari nequeat; ubi tanquam orator prodeat Christus, ubi non, - sitque difficillimum accurate definire, quatenus Domini sermocinationes ab Ejus orationibus differant, - et qua in re positum sit discrimen. - Quum vero nobis de Ejus orationibus tantum sit agendum, de his paulo fusius dicamus!

Jam ante nos fuerunt, qui contenderent, nostrum Conservatorem, religionis popularium notitias ad majorem claritatem purioremque veritatem perducere cupientem, se accommodasse (et sapienter sane!) vulgari eorum temporum rationi religionem docendi, populum instituendi, loquendi et disserendi. Constat enim, Jesum non conatum esse usitatam illam docendi methodum mutare aut novam dicendi rationem inducere, sed antiquam consuetudinem servasse. Quatenus saltem liceret, neque veritati esset contrarium, Dominus verba faciens docensque Judae-

orum methodum sequutus est. (1) Quicumque igitur Judaeorum ritus et institutiones in Synagogis usitatas non plane ignorat, facile, ni fallor, concedet nobis non licere, Christum tamquam oratorem salutare, ubicumque verba faciens prodit; probe contra distinguendos esse locos, ubi tamquam Religonis Magister docet, ab iis, ubi eum Orationem habentem videmus.

Sui temporis Judaeorumque consuetudinem observans, utramque docendi rationem (colloquendi scilicet ac orationes habendi) ita conjungebat Christus, ut eas accurate separare nobis non datum sit. - Ita inter alia nonnullos apud Evangelistas locos invenimus, ubi interrogans tantum et respondens docet Jesus, - et ita quidem, ut non in uno definitoque argumento moretur; hos in nostra quaestione in censum non venire non est quod moneamus. Collocutiones enim ad continuas Ejus orationes non sunt referendae; - nam non sunt orationes ad populum, vel etiam ad selectam audientium catervam habitae, sed veritatis disquisitiones, religionis institutiones, sermones vel colloquia inter paucos habita ethicis de argumentis, ubi sponte patet,

(1) Cff. G. Ch. G. Weise: *de more domini, acceptos a magistris judaïcis loquendi ac disserendi modos sapienter emendandi*, qui dicta sua magno exemplorum numero ex *Lightfootio*, *Schoettgenio*, *Corrodo* aliisque adstruit. Exstat haec disquisitio in *Commentationibus Theologicis* editis a viris cl. Velthusen, Kuinoel et Ruperti. Vol. V. p. 117 sqq. - Cff. Heringa, in *Opp. Soc. Hag.* alii.

familiari ratiocinandi modo identidem sublime, quod tractabatur, argumentum abrumpi debuisse.

Alii etiam sunt loci, ubi Domino rogando ac respondendo dicendi sponte praebetur occasio, et ubi uberius ulteriusque verba facit, vel etiam de officiis pietatis et virtutibus insignioribus dicit πρὸς παιδείαν τὴν ἐν δικαιοσύνῃ, adjunctis usibus διδασκαλίας, ἐπανορθώσεως, ἐλέγχου et παρακλήσεως. Hi interdum ad nostrum propositum facere possunt.

Tandem locos etiam invenimus, ubi Christus sancti Spiritus impetu ductus, integram habet orationem. Quod vero ita intelligendum est, ut Dominum non talem consideremus, qualem his temporibus sacrum aut vulgarem oratorem prodeuntem videmus, - quasi elaboratam Jesus haberet orationem, nostrae consuetudini regulisque hodiernae Eloquentiae, Rhetorices aut Homiletices accommodatam.

Ultimi generis orationum a Christo habitarum, quamvis eae sunt perpaucae, praecipue in argumento nostro tractando rationem habebimus. (1)

---

(1) Nimis notum est discrimen inter *sermocinationes* et *orationes*, quam ut pluribus illud persequamur. Illae e. g. inveniuntur tum *Joa* VII : 14 sqq., VIII$_1$: 12 sqq., X : 25-30, tum per totam historiam Evangelicam. - Has vero, quales esse velimus, si de Christo agatur, quasque memoriae proditas inveniamus, ostendere nobis proposuimus; - idcirco, ut aperta fiat nostra sententia, praecipuas h. l. afferamus. Consulantur e. g. I. Oratio, quae invenitur: *Joa.* V : 19, seqq. Vid. Omnino doct. v. Oosterzee, *L. v. J. Vol.* II. P. I. p. 192 sqq.

§ 3.

Tractandi ratio.

Allatis igitur rationibus, quibus magnum argumenti momentum contra adversarios defenderetur, - ac commemoratis difficultatibus, cum hac quaestione conjunctis, restat, ut de consilio et dispositione hujus scriptionis paucis agamus.

II. Oratio, quae invenitur: *Matth.* V, VI et VII, - *Luc.* VI : 17-49. *Oratio Montana* vulgo nominata; - Cf. v. Oosterzee, *L. v. J.* II. P. I. p. 248, sqq.

III. „ „ „ *Matth.* X : 5. sqq. (*Marc.* VI : 7-12, *Luc.* IX : 1-6.) Vid. doct. v. Oosterzee, *L. v. J. Vol.* II. P. I. p. 423. sqq.

IV. „ „ „ *Matth.* XVIII : 2-35. *Marc.* IX : 35-50. Vid. doct v. Oosterzee, *L. v. J. Vol.* II. P. II. p. 549. sqq.

V. „ „ „ *Luc.* XII : 22-53. Vid. doct. v. Oosterzee, *L. v. J. Vol.* II P. II. p. 679. sqq.

VI. „ „ „ *Luc.* XIII : 22 - XVII : 10. Vid. v. Oosterzee, *L. v. J. Vol.* II. P. II. p. 703. sqq.

VII. „ „ „ *Matth.* XXIII, (*Marc.* XII : 38-44; *Luc.* XX : 45-XXI : 4) a doct. v. Oosterzee, *L. v. J. Vol.* III. P. I. p. 85. belg. : „Straf-rede" denominata.

VIII. „ „ „ *Matth.* XXIV, XXV (coll. *Marc.*

Christi Eloquentia, oratori sacro imitanda, qualis nobis obversetur, supra (§ 1) jam satis ostendisse nobis videmur. Verumtamen plura sunt praestanda. Ut enim cujusvis indagationis ita nostrae quoque certum debet esse consilium. Quod quale sit, breviter jam explicuimus; scilicet nihil aliud volumus, nisi ut nostra pro viribus conferamus ad cognoscendam rationem, qua sacris orationibus Evangelium optime possit propagari, ut verbi divini, quod denuntiamus, servetur gloria decusque, quo homileticae, quam praesertim diligimus, scientiae apud alios quoque excitetur amor. Quamvis autem lubenter fateamur, aliam viam ingressos eodem nos pervenire potuisse, - quamvis theoreticae etiam institutionis non sit rejicienda utilitas, verborum tamen memores eramus unius e summis nostri aevi oratoribus: exempla vulgo aptissima esse ad rem aliquam illustrandam. (1) Et si verum est, artis regulas ex

---

XIII. *Luc.* XXI : 5-36, XII : 39-46, XVII : 23-37.) a Dornero (Cf. v. Oosterzee, *L. v. J. Vol.* III. P. I. p. 108, *nota.*) Oratio eschatologica denominata.

IX. Oratio, quae invenitur: *Joa.* XIV. XV. et XVI., ab omnibus, imo a Straussio, (Cf. v. Oosterzee, *L. v. J.* Vol. III. P. I. p. 189 sqq. inprimis p., 224, *nota*) Abschiedsreden dicta.

(1) Cff. des Amorie v. d. Hoeven: in libello *de Joan. Chrysostomo*, ubi p. 3 hoc dictum invenitur, - et Tichler,

maximorum virorum operibus esse petendas, non errare mihi videor, si primarias homiletices regulas in Christi Eloquentia inveniri posse contendo. (1) Sic etiam in frigida aridaque doctrina orietur vigor ac calor; - sic orator sacer muneris sui gravitatem penitus sentiet; - sic facilius vim agnoscet eloquentiae sacrae in quotidiana auditorum vita, sic maximam semper orationum, quippe quae muneris sui sint pars nobilissima, curam gerere conabitur. Verbo: Christi eloquentiam, oratori sacro ad imitandum propositam, optimam ducimus normam, quam secutus verbi divini minister, dignus Christianae religionis evadere possit propagator. Ut enim illa pectus ejus egregio accendit studio sublime illud exemplum imitandi, ita et rationem ostendit, qua hujus exempli gloriam assequi possit. En nostrae disquisitionis consilium, ad quod assequendum si non nihil videremur contulisse habebimus, quod gaudeamus.

Iets over Borgers kanselwelsprekendheid, p. 7, ubi:„ Dat de kerkelijke Redenaar" inquit, „zich de beste voorbeelden van kanselwelsprekendheid ter navolging moet voorstellen, wordt ons door alle bevoegde regters zoo stellig voorgeschreven, dat wij aangaande het gewigt hiervan geen twijfel mogen voeden. Het is genoeg uit velen het gezag van onzen van Hengel aan te voeren. (*Instit. Orat. s.* p. 258 sqq). Hij beroept zich op de ondervinding, welke het duidelijk leert, dat zij, die zich behoorlijk op het navolgen van goede voorbeelden hebben toegelegd, veel meer geschiktheid bezaten, om Redenaars te worden, dan zij, die met verwerping van hetgeen andere geleverd hebben, alleen op hun eigen vermogen steunden."

(1) Consulantur quae supra § 1. p, 7. monuimus.

Et sic quidem ad quaestionem pervenimus, quomodo optime nobis disponenda sit uberrima haec materia. Qua in re varias inire possumus rationes, quod ipsam vero optionem facit difficillimam. Singularum certe orationum separata consideratio non tantum ob causas supra commemoratas est improbanda; sed praeterquam quod ingrata laboraret repetitione, maxime etiam operis perfectioni obstaret. Etenim non iis arctis limitibus continemur, ut nonnisi ex supra allatis Christi orationibus haurire velimus, quas illustrandi modo consilii nostri gratia enumeravimus. E contrario iis etiam locis uti constituimus, ubi colloquii cursu eo adducitur Dominus, ut uberius verba faciens, 1°. doceat, sive refutandis erroribus seu vero docendo, 2°. se defendat, 3°. adhortando futura recludat, 4°. denique moestus suis valedicat.

Optime factum putamus, si veterum divisionem, (1) quatenus ea congruit cum nostri argumenti tractatione, sequamur. Tum vero in exponenda Christi

(1) Cum nemo sit, qui ignoret, veterum divisionem constare εὑρέσει (inventione), τάξει (dispositione), λέξει (elocutione) προφόρᾳ, ὑποκρίσει (pronunciatione et actione), sponte in oculos incurrit, nos nullam in argumenti dispositione de τάξει mentionem fecisse. Causas cur in dijudicanda Christi eloquentia eam data opera non tractemus infra in introitu, ad partem IIIam. afferre conabimur. Ceterum Ciceronis verba: „ita praetermissa pars nulla erit: quandoquidem de memoria nihil est hoc loco dicendum, quae communis est multarum artium," (*Orat.* c. 17 § 54) nostra facimus. Conf. ad hanc divisionem Ciceronis dialogi *de Oratore* Lib. I. c. 31. § 142.

Eloquentia, oratori sacro imitanda, quo facilior fiat disceptatio, eam consideremus et commendemus:

I. Quod attinet ad dicentis mentem et consilium.
II. Quod attinet ad orationum materiem.
III. Quod attinet ad earum formam.
IIII. Quod attinet ad pronunciationem.

Mirum fortasse cuipiam videatur, quod nostro praesertim tempore, quo Christi vitae historia saepius impugnatur, et fontes etiam, e quibus illa hausta est, novis subjiciuntur dubitationibus, exegeticam atque apologeticam prorsus omiserimus partem; - ac si, omnia planiora essent, quam quae indagatione, explicatione, defensione egerent. Absit sane! Universe critices agnoscimus tribunal, sed arcti nostrae disquisitionis termini impediunt, quominus in illum campum descendamus. Facile enim cuivis apparebit in nimis amplum volumen dissertationem nostram extensum iri, si omnes objectiones refutare vellemus, quae recentioribus temporibus a plurimis factae sunt adversariis, - aut si omnes, tam naturali quam mythicae explicationi faventium impetus repellere in animum induceremus. (1) Quin eas quo-

(1) Quarum explicandi rationum si quis indigeat expositione, adeat quaeso doct. v. Oosterzee, qui haec monet: „Door natuurlijke verklaring verstaan wij die, welke, de echtheid en geloofwaardigheid der Evangelien vasthoudende, echter al het wonderdadige, dat daarin voorkomt, uit de ons bekende wetten der natuur zoekt af te leiden en alzoo begrijpelijk te

que quaestiones indagare, quae agunt de vera aut minus vera interpretatione et de nonnullorum locorum integritate, quaeque meditatione dignae sunt, non est hujus loci, cum hoc omisso nihilominus, quo tendimus, pervenire possimus. Quid? quod dubitaremus etiam rem suscipere, in qua tractanda prudentiores peritioresque viri luculentissima scientiae, consilii, constantiae dederunt documenta. Missas igitur facimus quaestiones criticas vel gravissimas, cum nobis videantur perparum esse faciendae ad dijudicandam Christi eloquentiam, quae non apparet ex paucis verbis aut periodis, sed inprimis ex indole, quam cernimus in Ejus orationibus.

Ad quaestionem autem: num prolixiora colloquia et orationes, quas Euangelistae Christum habentem faciunt, revera propria Christi verba sint ducenda, propriaque Ejus institutio, - affirmando respondet P. van der Willigen in diatribe: *over Jezus als Openbaring Gods* p. 55-89 (quae diatribe inserta est Vol. VI commentationum societatis Haganae ad defend. rel. Christ. a. 1844), - cujus viri vener. sententiae ideo subscribere non dubitamus, cum firmis idoneisque se commendet argumentis. (1)

---

maken. Van mythische verklaring sprekende, denken wij aan het gevoelen van hen. die deze verhalen geheel of grootendeels tot het gebied der onbewuste verdichting brengen, en daarin slechts geschiedenisvormige inkleedsels zien van de denkbeelden, door Jezus eerste belijders aangaande zijn persoon en werk gekoesterd." et quae sequuntur inde a pag. 224-231, *L. v. J.* Vol. I. P. I.

(1) „Wat de meer uitvoerige en aaneengeschakelde redenen des

Hisce igitur in antecessum monitis speramus fore ut omnes, quibus egregium munus mandatum est, aut aliquando mandabitur, in Christianorum conventu Euangelium denunciandi, — ut omnes, inquam, ita ingenium suum conforment, ut verba faciant cum sancta animi simplicitate, et quantum quidem per humanam licebit imbecillitatem, simili praestantia, hominum cognitione et sapientia, simili ardore ac diligentia, quae divinum Magistrum merito admirandum fecerunt exemplum: »ut existat talis Orator, qualem quaerimus: qui jure non solum disertus, sed etiam eloquens dici possit." (1)

Heeren, die wij bij hen vinden opgeteekend, betreft; zoo blijkbaar als het bij andere geschiedschrijvers is, dat zij de personen hunner geschiedenis zulke redenen, schoon niet door hen gesproken, in den mond leggen, even zoo ongegrond schijnt mij alle vermoeden, dat de Evangelieschrijvers dit ook, ten opzigte van den Heer zouden hebben gedaan." Ad hancce suam sententiam fulciendam van der Willigen multa validaque argumenta affert, quae cum describere longum foret, ipsi consulant ac perpendant benevoli lectores.

(1) Verba Ciceronis: *de Orat.* C. XXI. § 95.

PARS PRIMA.

DE JESU CHRISTI MENTE AC CONSILIO ORATORI SACRO OBSERVANDIS.

Orator, vir bonus, dicendi peritus.
Quinctilianus.

Quonam ergo animo esse dicamus sacrum oratorem? Ut uno verbo enunciem, animo vere Christiano, ad ipsius Christi mentem, praecepta et vero imprimis exemplum efformato.
v. Oordt.

CAPUT PRIUS.

DE JESU CHRISTI MENTE AC CONSILIO.

Antequam de ipsa Jesu Christi eloquentia, oratori s. imitanda agamus, breviter videndum nobis est de mente Ejus et consilio, quo in docendo dicendoque ductus fuit. Hoc enim, quum recte perspiciamus et tamquam fundamentum nostrae subjiciamus disputationi, simul de interiore Ejus eloquentiae fonte ac praestantia magis aequum judicium ferre nobis licebit. Praeterea, ut ipsum Christo proprium dicendi genus recte aestimare possimus, qua mente fuerit et quodnam sibi proposuerit consilium, scire nos oportet. In dijudicandis enim optimis vulgaris eloquentiae speciminibus, si mens et consilium oratoris recte spectantur, eique locus tribuitur magis minusve honorificus pro majori minorive in utrisque laude, - idem illud etiam valet in disquisitione de Jesu Christi eloquentia. Quum vero plures eam jam elaboraverint materiem, brevis hoc loco sufficiat conspectus eorum, quae huc pertinere videantur. Nostrum tamen argumen-

tum, quum nondum attingere velimus, nec hoc loco jam e Christi orationibus sumere, quae infra demum justo modo probari poterunt, - tutissimam nobis videmur ingredi viam, si generaliter praestantem Christi loquentis mentem ac consilium paucis adumbramus.

Mens igitur, qua Sospitator in dicendo ductus fuerit, conspicua est in Ejus studio tuendi Patris honorem augendique hominum salutem; - consilium vero, si quaerimus quale Ille sibi proposuerit, uno nomine exprimi potest, nempe: ut regnum Dei in terris conderet. Summo Dei hominumque amore incensus, sanctum Dei nomen patefacere sibi proposuit, ut Patrem homines colerent et adorarent, Eumque tanquam unum verum Deum cognoscerent, amarent, Ejusque jussa perficerent. Verba faciebat unice spectans temporariam aeternamque hominum salutem. Oratione sua salutarem iis aperiebat thesaurum scientiae, qua gravissimae perscrutantis ingenii quaestiones ad religionem pertinentes plane solverentur. Omni cogitatione eo ferebatur ut vitam hominibus amore plenam efficeret, qua, se auctore, omnes fideles cum Deo et secum invicem arctissime conjungerentur; - ut pacem agerent cum Deo, quo animus peccati onere gravatus levaretur beatissima reconciliationis conscientia; - ut sanctam hominum vitam efficeret, puritate et vigore conspicuam; - denique, ut verbo suo spem melioris conditionis excitaret apud omnes, qui vitae calamitatibus afflicti jacerent.

Sic verba fecit divinus noster Magister! Amor princeps ejus erat principium, consilium in dicendo: quaerere et beare quidquid perditum erat.

»Hanc Ejus benevolentiam et benignitatem animi quot experti fuerunt debiles, errantes, corpore et mente infirmi, quoties ejus etiam discipuli atque amici, imo et hostes: quorum omnium malis levandis semper intentus, injurias facillime condonavit, pravitati atque infortunio saepissime ingemuit. Spirat in omni Jesu cum amicis consuetudine suave quoddam et tenerum, in quo animum agnoscas non tantum amantissimum, sed eundem ab excelso loco se demittentem. Cogitate, quis Jesus fuerit, quam sapiens, quam magnus, quam elatus. Videte tamen, quomodo ad rudes ac saepe stupidos amicos sese accommodet, quanta indulgentia contradicentes et mirifice molestos ferat, quanta simplicitate et humanitate, imo amoenitate, omnes suos sermones et monita gravissima condiat et temperet. Qua quidem in re magnanimitas est summa. Ita enim se ad infimos demittebat, ut et suae majestatis rationem haberet et neminem a se absterreret: Ita inturbatam serenae mentis tranquillitatem servabat, ut idem a duritiei suspicione longissime abesset. Quantopere amicorum sorte commoveretur, patuit in funere Lazari cum a lacrymis tam parum temperaret, ut circumfusa sepulcro turba miraretur amoris magnitudinem.

Numquam vero sive benevolentia et misericordia, sive ira et odio, quamvis utroque genere facile et fortiter afficeretur, ultra justi rectique terminos se abripi passus est. Nemini amicorum, etiamsi dilectissimo, ultra virtutem addictus, nemini inimico,

quantumvis lacessenti, fortius succensuit quam par erat. Numquam ejus fortitudo in audaciam, numquam lenitas in mollitiem, numquam dolor in iracundiam, nunquam perseverantia in pertinaciam degeneravit; tantumque vitae prudentia valuit, ut quamvis animi sensa minime dissimularet, tamen ne malignissimus quidem eum jure carpere posset." (1)

Quaecunque autem, quocunque modo aut ubicunque verba faciebat, summa semper dicebat persuasionis vi; Ejus verba animi erant typus. Christus vera utebatur eloquentia, non ea, quam in scholis rhetorum traditam novimus, non artificiosa illa, sed naturali pectoris eloquentia. Quidquid dicebat, id non ab hominibus acceperat, sed imo ex pectore proferebat. Inspiciamus modo sensu vere religioso ducti Jesu orationes, nonne in iis aliquid longe sublimius cernimus longeque praestantius, quam in Graeciae Romaeque ceteroquin merito laudatis exemplis? nonne ubique vere divina spirat auctoritas? Egregia cogitata, eximiae sententiae, praestantissima consilia, conjuncta cum animo optimis affectibus praedito, cum uberrima phantasia, cum acuto et acri judicio, cum singulari judicandi eligendique ratione; - haec omnia facile prolata, suo loco adhibita, identidem firmata, cum studio et veritate pronunciata, Christi eloquentiae indo-

(1) Seb. Fulc. Joh. Ravii Verba. Cf. ejus Oratio: *de Jesu Christi ingenio et indole perfectissimis per comparationem cum ingenio et indole Pauli Apostoli illustratis*, Lugd. Bat. a. 1798 habita, p. 22, 23, 25, 26, 41 et 42.

lem nobis repraesentant, ad omnium animos illi aditum praebent, perfectionis sigillum ei imponunt, confirmantque illud: pectus est, quod disertos facit.

Jesum dicendo minime regnum terrestre condere sibi proposuisse (*Joa.* XVIII : 36), jam ab aliis validioribus probatum est argumentis, quam ut hanc sententiam amplius exponere conaremur; (1) — Eumque definitum ac subtile doctrinae σύστημα hominibus, qui Ejus aetate vivebant, aut toti generi humano minime denuntiare voluisse, ex eo patet, quod Dominus semper sic loquebatur, ut oratio Ejus ad occasionem ex improviso oblatam adaptata esset,

---

(1) Inter quos prae ceteris Grimmii recenseantur verba: „Ita dubitari nequit, Jesum *ethicum* regnum, paulatim omnes homines complexurum (*Matth.* VIII.: 11 sq., XXIV: 14, XXVIII: 19, *Joh.* X.: 16) condere voluisse, h. e. congregationem hominum, qui Jesum summum Dei legatum agnoscerent (*Joh.* XVII : 3,) mentisque ab eo acceptae (*Matth.* X: 20, XXVIII: 20, *Luc.* XXIV: 49, *Joh.* XIV-XVI) vi de rebus divinis rectius edocti Deum patrem mente et veritate colerent (*Joa* IV : 23) a peccati dominatione sensim liberati (*Joa.* III : 5 sqq. VIII: 12, 31 sqq., XIV: 6, XVIII: 37), communi amoris vinculo conjuncti (*Joh.* XIII: 34 sq., XV: 10, 12) arctissimam inter semet ipsos, cum Christo atque Deo patre familiaritatem (*Joh.* XVII: 21-23) contraherent atque vitae vitalis (ζωῆς αἰωνίου) ultra hujus terrae fines ad summum fastigium evehendae participes redderentur (*Joh.* XVII: 2,) Cujus regni fundamenta quum jam a Christo jacta sint, consummatio autem ad futurum tempus pertineat: satis intelligitur, cur in sermonibus servatoris modo tanquam futurum describatur." — *Instit. Theol. Dogm. Euang.* p. 41.

quodque non tantum praecepta sua admonitionesque, doctrinam ac verba, sed etiam facta sua suamque Ipsius personam discipulis imitandum proponebat. (*Matth.* XVI: 24, *Joa.* XII: 15, XIII: 15).

Christo autem in dicendo finem prorsus peculiarem ante oculos obversatum esse, finem longe alienum a caeteris illorum temporum oratoribus, docent nos antiquitatis documenta atque Ipsius orationum argumenta. Illa enim antiquitas philosophos oratoresque nobis proponit, juvenum virtutis ac sapientiae cupidorum frequentia comitatos, quos sua doctrina ad bonos informarent cives, - alios, qui diversas stirpes per communia sacra conjungere student, - qui poëseos atque eloquentiae vim adhibent, ut veri, boni, pulchrique sensum excitent animosque eo attollant et impleant; - qui ex solo harmoniae usu et philosophiae παιδείᾳ totam re vera proborum hominum civitatem constituere conantur; - sed Dei ignoti cultorum animos ad Unum verissimum evehere Patrem, omnia curantem, hominesque mortales immortalitis luce lustrare, hoc nullus unquam philosophus nec orator cogitaverat; hoc ipsum immensum et excelsissimum Jesu erat consilium. Eo tantum tendebat, ut depravatarum, quas Judaei de Deo rebusque divinis fovebant, notionum loco meliores nobilioresque daret cogitationes; atque inveteratum particularismum religiosa ac morali institutione, omnium hominum amore nixa, erueret, ut apud eos puriorem Dei notitiam, veriorem virtutem, indeque emanantem Dei cultum, in Ejus operibus conspicuum, suscitaret. Quibus omnibus felicitatem generis humani terrestrem, quod in-

ternae ratione habita vitae tam gravi laborabat morbo, firmaret, hominumque animos certa immortalitatis spe a terrae bonis avocaret, adque coelestia converteret.

Patris igitur honorem hominumque salutem augere, consilium, erat quod in dicendo sibi proposuit Jesus; quamcunque ingrediebatur viam, quibuscunque utebatur artibus, sive errores eruebat nimis adhuc Judaeorum animis inhaerentes, quam ut cives fieri possent τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν, - sive civilem eorum impugnabat exspectationem, quae tantum terrestrem sibi exoptabat Messiam, sive falsam libertatis cupiditatem reprehendebat, quae Romae catenas frangere volebat, nondum solutis peccati vinculis, - sive angustam populi superbiam tangebat, quae omnes Abrahami posteros electos Dei esse liberos arbitrabatur, - sermones Ejus semper eo tendebant, ut errantes ad unius veri Dei notitiam ducere et caecos ad salutarem divinae gratiae lucem attollere studeret. »Cum enim, divinae mentis afflatu monitus, priusquam vitae suae publicae cursum ingrederetur, omnia pericula sibi subeunda et labores incredibiles intelligeret, totamque eam molem velut in oculis positam contemplaretur, nihil idcirco perterritus ad tantum opus se accinxit. Proh Deum immortalem! quanto studio, quanta constantia, quanta fide in tanto negotio versatus fuit, cujus in vita nullum inventum fuit temporis punctum, quin saluti hominum consecratum esset. Quis omnia magna et praeclara facta recensere, quis tam immensam agendi vim animo aut cogitatione complecti, nedum verbis

exprimere aut oratione aequare psssit. Quanta virium contentione, quanto ardore animi requiescere et labefactari nescii ad sublimem illam metam sibi propositam, per aspera et salebrosa, spretis aut superatis omnibus impedimentis, se proripuit, eamque tandem invicta fortitudine tenuit! Sed hinc intelligitur, quare, cum caeteroquin esset hominum mitissimus, tamen neminem metueret, nemini assentaretur, nihil gratia vel auctoritate hominum moveretur, omnia ad divinam voluntatem gloriamque referret. Scilicet justi bonique et aequi ille sensns, quem habebat exquisitissimum, ignea animi vi stimulatus et erumpens, nemini iniquo pepercit, neminem vexatum aut calamitosum deseruit. Hinc aequabilis in utraque fortuna animus, nec blandimentis secundae cedens, nec procellis adversae quassatus, constans sibi et imperturbatus, fidelis etiam erga fugientes desertoresque amicos, ad ultimum usque vitae halitum Deo sibique et suis numquam defuit." (1)

Hoc Evangelium gentibus quoque ab Ejus Apostolis denuntiandum curabat, ut id, quod illis σκάνδαλον καὶ πρόσκομμα videbatur, ditissimus iis esset fons scientiae, fidei et felicitatis. Hoc verbum nuntiabatur Judaeis, ne suorum patrum Deo Jehovae tantum, ut nationis suae Sospitatori, sacra facerent e religiosis institutionum lege praescriptarum, postulatis, sed ut omnium populorum Patrem in spiritu ac veritate adorarent. Superbia elato Pharisaeo

(1) Ravii Verba. Cf. Oratio laud. p. 23-25.

Evangelium venit nuntiatum, ut a stulta vanitate eum ad poenitentiam ac conversionem adduceret. Ad Sadducaeum sermonem convertit, ut dubitationem ejus de vita aeterna cum immortalitatis fide commutaret. - Sic semper eodem loquebatur consilio, sive ad singulos verba faciebat, sive ad omnes homines.

Christus, ubi concionatur, nihil spectat, nisi necessitudinem, quae interest summum Deum inter ac hominem totamque rerum naturam. Verba salutis, ubi e labiis Ejus fluunt, cognationem generis humani cum Ipso vitaque aeterna interpretari student. Os ubi se aperit, ideo fit, ut illud arcanum explicetur, quomodo mens nostra Deo similis fieri possit. Religionis placita, quae denunciavit, officia quae praescripsit, exspectationes quas excitavit, eum omnes habebant finem, totum hominem plane ut converterent novae vitae elementis ei infundendis. Et quum Pater in Eo esset, ut ille in Patre, Dei patefactio manifestatione sui Ipsius centrum erat Christi κηρύγματος. Non solum igitur, ut de Patre testimonium redderet, sed etiam ut Patrem in se Ipso videndum praeberet, qui venerat quaesitum et beatum quod perditum erat, - eo vita sane, cruciatus atque mors, sed docentis quoque ac dicentis Jesu munus ducere debebat.

Dominus autem non his tantum se continuit finibus, ut dicendo notitiam Patris solum ac animi humani recreationem spectaret; multo magis majorem cum ipso Deo conjunctionem mutuamque ea fundatam hominum consociationem sibi proposuit. - Unicuique

qui credit veniam peccatorum e mera gratia ut primarium regni divini promissum pollicebatur, - at fratri ignoscendi voluntas prima erat conditio, qua Deus peccatorem gratiam quaerentem doni hujus salutiferi participem reddere poterat. Peccati servis libertatem largitum venit et liberos beatos reddere cupit, at tantum caritati ut eos inservientes reddat, quemadmodum liberos decet fratres. Resipiscentiam ac conversionem efficit; - iis autem, qui Deo consecrati sunt, cavendum est, ne stulte majorem suam praestantiam prae infelici fratre ac incredulo glorientur. (*Joa.* XIII: 34; XV: 12 & 17.) Caritatem erga Deum et propinquum jamjam mandaverat; plura autem voluit, ac praeceptum edixit: *ἀγαπᾶτε τοὺς ἐχθροὺς ὑμῶν, εὐλογεῖτε τοὺς καταρωμένους ὑμᾶς, καλῶς ποιεῖτε τοὺς μισοῦντας ὑμᾶς, καὶ προσεύχεσθε ὑπὲρ τῶν ἐπηρεαζόντων ὑμᾶς καὶ διωκόντων ὑμᾶς*, ut amoris lex sic in omnibus expleretur (1).

Domini ideo verba, quae in hominibus humanitatem spectant, natura atque fine suo omnino dicentis mentem referunt, qui ad novam vitam spiritualem totum conjungere voluit genus humanum. Profecto! Ejus *κήρυγμα* tantum si respicimus, ne tum quidem vana Ejus est gloriatio dicentis: *ἐγώ εἰμι ἡ ὁδὸς, καὶ ἡ ἀλήθεια, καὶ ἡ ζωή. οὐδεὶς ἔρχεται πρὸς τὸν πατέρα, εἰ μὴ δι' ἐμοῦ.* (2) Ex ea enim manifestum est, Jesum se ipsum (*Joan.* XIV: 21, 23; XV: 5, alibi) tan-

(1) *Matth.* V: 44.

(2) *Joh.* XIV: 6.

quam centrum, cui omnes adjungere se deberent, omnes cujuscunque loci aut dignitatis, cujuscunque coloris aut cultus, regionis aut terrae, aetatis aut saeculi, patefacere voluisse. Ex hoc centro amoris scintillae in uniuscujusque animum descendunt, ut vicissim fratris animum accendant. Arctissima ita caritatis vincula omnes tenebunt tamquam unius familiae socios, vitis palmites, tamquam unius ejusdemque corporis artus; - vincula illa solida, firma et indissolubilia tali ratione omnes tenebunt, ut summum Jesu consilium expletum, exoptatissimaeque Ejus preces exauditae sint: ἵνα πάντες ἓν ὦσι, καθὼς σὺ, Πάτερ, ἐν ἐμοὶ, κἀγω ἐν σοὶ, ἵνα καὶ αὐτοὶ ἐν ἡμῖν ἓν ὦσιν. ἵνα ὁ κόσμος πιστεύσῃ, ὅτι σύ με ἀπέστειλας. (1).

(1) *Joh.* XVII: 21.

CAPUT ALTERUM.

DE ORATORIS SACRI OFFICIO LAUDATAM JESU CHRISTI MENTEM AC CONSILIUM OBSERVANDI.

Magno animi studio ad hunc locum aggredimur, quamquam nobis fuse de eo agere non licet: potest etiam hoc argumentum paucissimis verbis absolvi. Si autem in specimine nostro oratori sacro prae quovis alio palmam assignamus, maxime id h. l. nobis facere liceat, ubi de Jesu Christi mente ac consilio acturi sumus oratori sacro observandis.

Quodsi enim Christus in omnibus oratori sacro habendus est typus, quem imitetur, - eloquentiae fontis ratione habita, in Eo unicum exemplum intueatur, perfectissimam imaginem, pulcherrimam ideam, certissimum ducem, quem in dicendo semper sequi debet. Ille est norma, ad quam se tamquam ad lapidem Lydium semper examinare debet, cui certo confidere potest, et secundum quam verissime se ipse

probare vel improbare potest, quo propius ad divinum illum typum accessit, vel quo longius se ab eo removit. Talem autem ideam Cicero in Bruto quidem oratoribus forensibus proposuit, quam sequerentur, sed semper idea phantasiaeque foetus mansit, cui verisimiliter nemo umquam orator similis evadet. Nobis contra historia sacra Christum talem oratorem proponit, qui illas etiam virtutes et officia eloquentiae sacrae in se conjungit. Hunc possumus intueri, admirari, huic possumus, imo debemus pro humana nostra infirmitate similes fieri, hujus tamquam veros ac fidos sacrorum Antistites oportet nos vestigiis instare atque incurrere, ne frustra oratori sacro illa gratia ac benevolentia data sit.

Summo jure de Sospitatore nostro quum dicere possimus, Eum missum fuisse Evangelium e coelo in terram ut deferret, sic oratori etiam sacro idem demandatum est munus hisce verbis: *κηρύξατε τὸ εὐαγγέλιον πάσῃ τῇ κτίσει.* (1) Nullam sane extraordinariam accepit legationem, quemadmodum Dominus, attamen ad unumquemque Christi ministrum pertinet gravissimum illud mandatum: *Βόσκε τὰ ἀρνία μου· ποίμαινε τὰ προβατά μου.* (2) Conversionem ac veniam omnibus gentibus denuntiandi munus, hoc nostro etiam tempore mandatum est omnibus, qui Dei mysteriorum sunt dispensatores. Nec quae loquuntur suo testantur nomine, sed nomine et auctoritate Ejus, qui hanc provinciam

(1) *Marc.* XVI: 15.

(2) *Joh.* XXI: 15, 16.

iis mendavit iisque injunxit: »Lucramini, donec redeam!"

Vae igitur unicuique Ejus legatorum, hoc Evangelium non denuncianti! - Vae illi, qui non ex intimo loquitur animo, sincero erga Eum, a quo missus est, flagrans amore (1): qui se ipsum magis diligit ac commendat, quam Dominum, qui hoc ei munus tradidit! - Ad eum enim referenda sunt Christi verba: *ὁ ἀφ' ἑαυτοῦ λαλῶν, τὴν δόξαν τὴν ἰδίαν ζητεῖ. ὁ δὲ ζητῶν τὴν δόξαν τοῦ πέμψαντος αὐτὸν, οὗτος ἀληθής ἐστι, καὶ ἀδικία ἐν αὐτῷ οὐκ ἔστιν.* (2) Si Christum revera imitari studet, cupiditate teneatur omni cum humilitate Patris honorem augendi, ac, nulla sui ipsius ratione habita, salutem hominibus denuntiandi, - tunc Dei verbum non cauponabitur, ut nonnulli Paulli aetate, *ἀλλ' ὡς ἐξ εἰλικρινείας, ἀλλ' ὡς ἐκ Θεοῦ, κατενώπιον τοῦ Θεοῦ ἐν Χριστῷ*, (3) loquetur. Munere suo qui rite fungi velit, amoris et grati animi sensu (4) verba sua animet omnibusque, nulla per-

(1) Cff. Augustinus: *de doctrina Christ.* L. IV. c. 27 sq.; - Schott, *die Theorie der Beredsamkeit*, caett. T. I. p. 42 v. sq. Ed. 2ae. Heringa, *kerk. Raadvr. en Raadg.* IV. 1. p. 170 sq.; - Claus Harms *in Pastoral. Theol. d. Chr. Glaüb u. Lebens.* Neue Ausgabe, B. III., p. 79, - omnes laudati a doct. G. J. Vinke, in Diss. *de Christi, e cruce pendentis, vocibus.* P. IV. c. 2. § 1. p. 213.

(2) *Joa.* VII: 18.

(3) *II Cor.* II: 17.

(4) Amor, qualem a Ramsay **descriptum legimus** (*Disc. Philos*): „le vrai amour est une justice, qu'on rend à l'excellence de ce qu'on aime. Sa nature est, de sortir de soi, de

sonae ratione habita, nullo sui amore incensus, clementiae ac gratiae per crucis sanguinem Deum denunciet. Tum demum eodem animo Evangelii persequitur κήρυγμα, quo Dominus illud in terra inceperat, tum demum in eo eadem erit mens, qua Christus in docendo dicendoque ductus fuit. (1)

Quum autem in consilium inquirimus, quod sibi proponere debet orator sacer, nullum est aliud, quam ut in opere a Christo incepto pergat, quam ut denunciet annum Domini acceptum, quam ut Christi nomen prae se ferat, non vero suum! Hunc solum religionis auctorem, unicum ecclesiae caput generisque humani Sospitatorem, cujus opera cum Deo in gratiam redimus, profiteatur; et institutionis suae initia, sicut Paullus fecit, a Jesu Messia repetat! Prodeat, non tantum suos ut

---

s'oublier, de se sacrifier pour l'objet aimé, de ne vouloir que ce qu'il veut, de trouver notre bonheur dans le sien."

(1) De verbi divini ministri mente sane valet, quod universe ven. ten Kate, de Evangelici oratoris munere dixit: „Het was mij, of ik u hoorde vragen: „gij Evangeliedienaar! waar is een exempel voor u, menschelijk genoeg, om allen moed tot navolging niet in eens ter neêr te slaan: Goddelijk genoeg om immer te doen streven naar eene nimmer bereikte volmaaktheid? En wie heeft het u nagelaten aan het eind eener loopbaan, die geen struikeling heeft gezien, en in de stralen eener kroon, onbevlekkelijk en onverderfelijk, boven alle kroonen der aarde? Daar rees de heerlijke gedaante van den schoonste der menschenkinderen, van den Eeniggeborene des Vaders, voor het oog mijner ziele." *Leerr. bij den aanv. d. Evangeliebed. te Middelb., bladz.* 6.

doceat, convincat, in fide confirmet, sed secundum gratiam Dei, quae illi est data pro munere ei divinitus demandato, proque viribus ei divinitus impertitis, gratia divina adjuvante, fundamento posito superexstruat. (*I Cor.* III: 10.) Prospiciat sibique probe expendat, quomodo Christi vestigiis insistat, caveat ne sua institutio aliena sit ab ea, quam a Christo accepit, - ne privati tantum commodi aut suae gloriolae studiosus, suas opiniones erroresve forsan veritati divinae substituat, - ne a fundamento illo, Jesu Christo, discedat illive adversetur. Unico contra fundamento superstruat aedificium firmum, solidum, eximium, doceat religionis placita, bene fundata ac probata, e doctrina de Jesu, vero Messia, ex Ejus persona, auctoritate, provincia, historia, meritis, beneficiis, praeceptis petita, quae vere conducant ad augendam pietatem christianam, quibusque exaedificetur ecclesia Christiana. Mentem suam, sanctissimo sensu affectam, cum iis communicare eosque ad Dei Christique exemplum conformare conetur. Animos excitare, movere debet, non, ut mox avolantes levesque affectus, sed ut firma ac stabilia consilia totius vitae in probitate, pietate malique aversione transigendae suscitet, hominemque hac via ad felicitatem perducat. (1) Hominum obsequium, inter omnes elu-

(1) Sic quoque Thereminus: „Die Aufgabe," inquit, „des geistlichen Redners ist: die Menschen durch Erkenntnisz Gottes und seines Sohnes zum ewigen Leben zu führen, und ihren Geist dergestalt zu bilden, dasz nicht blosz Eine gute That,

cendi studium, gloriae honorisque cupiditas a consilio ejus longe absint; hominibus enim si placere vellet, non amplius esset Christi servus (*Gal.* I: 10, 11). Merito enim eloquentiam sacram damnaremus, si hunc tantum sibi proponeret finem, ut verbis elegantibus, sonis omni sententia aut scientia destitutis, hominum aures demulcere ac sensus captare studeret, - ut auditorum voluntatem et plausum sibi conciliare vellet, motusque, quos in animis cieat, magis ab oratoris facundia et gravitate, quam a dignitate et efficacitate ipsius doctrinae ac mentis repetendi essent.

Dominus noster dicendo Dei honorem tueri quaerebat (1): doctoris Christiani igitur κήρυγμα ne sit aliud, ac: ὁ καυχώμενος, ἐν Κυρίῳ καυχάσθω. (2) Christus summo cum animi ardore de peccatorum

---

sondern eine völlige Umwandlung des Innern und eine ganze Reihe gute Thaten daraus entspringe." *Bereds. eine Tugend* s. 54.

(1) Conferantur ad. h. l. pulcherrima Ten Katii verba l. l. p. 19, 20: „Ziet daar! wat wel het einddoel moet zijn van al zijn arbeid: *den God van hemel en aarde te verheerlijken.* Of heeft Jezus ook hierin niet het dringendst voorbeeld nagelaten? Hetzij Hij de Lazarussen opwekte uit de spelonke des doods, of de tollenaars uit het graf der zonde; hetzij Hij een berg beklom en tot de schare sprak, zoo als nooit een mensch gesproken had, of een woning binnentrad om in stilte een verloren penning uit het stof te beuren, hetzij dat Hij at, hetzij dat Hij dronk, hetzij dat Hij iets anders deed, *Hij deed het al ter eere Gods.* Dáárom kon Hij in den laatsten nacht zijns levens biddende zeggen: „Vader! ik heb U *verheerlijkt* op de aarde!" en zijn dood was er het goddelijkste Amen op!"

(2) I *Cor.* I: 31.

remissione loquebatur seque ipsum a Deo legatum cognoscendum praebebat, qui venerat quaesitum et beatum, quod perditum erat: - peccatores perniciei omnes eripere, iisque Christi nomine per crucis sanguinem pacem nuntiare, eo quoque tendat unusquisque orator sacer. Ad μετανοίαν καὶ πίστιν auditores ut moveret quum Jesus prima vice Dei regnum nuntiaret operam jam dedit; - omnes ut ad fidem adducat et ad conversionem adhortetur sciens timorem Dei, oratori sacro redemtionis Evangelium commissum est *(II Cor.* V: 14, 19). Sospitator doctrinam suam denuncians per regiones ibat, malum ut impugnaret, vitia ut erueret, animos ut purgaret, - animum ac vitam auditorum emendandi, quo eos idoneos reddat ad intrandam urbem illam, in quam nihil ingrediatur impurum, nihil quod Dei praecepta parvi faciat, aut fidem Domino Christo deneget, cujuscunque verbi divini ministri sit consilium. Immortales animos ut ab aeterna morte servet, eam ob caussam Evangelium, ut margarita immensi pretii ministro datum est, - aegrotantibus remedium ut afferat successu numquam destitutum; coecis atque obcoecatis ut oculos mundi lumini aperiat; esurientes ac sitientes ad vitae fontem ut adducat, - qui peccati vinculis tenentur, remissionem ut ostendat, - pauperes ditiores ut reddat, quam omnes valent thesauri efficere, - lugentibus laetitiam ut indicet ac corde contritis Evangelium denunciet, propterea misit suos legatos Dominus, iis injungens: Κηρύξατε τὸ εὐαγγέλιον πάσῃ τῇ κτίσει. (1)

(1) *Marc.* XVI: 15.

Quae quum ita sint, nonne nostrorum temporum ministri est, quamvis magnum Dominum inter ejusque legatum sit discrimen, quamvis valde remota illa tempora sint a nostris, Ejus tamen vestigia premere? Nonne religiose ac Dei auxilium invocans studere debet ut sua verba, idem quum habeant consilium ac prima Evangelii annuntiatio, imbecilla sane, attamen sincera sit imitatio optimi ac praestantissimi exempli? Quodsi ideae non injuste normae dicuntur, ad quam res dijudicandae sunt, et finis, ad quem omnes tendere debent sacrorum Antistites, hac quoque in re non aliud exemplum oratori sacro sequi licet, quam Christum, qui praestantissimus est Magister. Magni igitur semper faciat beneficium illud, quod ei prae reliquis delatum est oratoribus, et Christi exemplum in dicendi etiam mente ac consilio in omnibus consulat. Quibus enim vetustatis illius oratores carebant, ea nobis abunde data sunt in Jesu Christo, qui menti nostrae semper obversari, vires nostras augere, tam internum quam externum, qui in nobis inest, hominem convertere et commovere debet, atque tum etiam efficiet, ut penitus sentiamus id, quod omnes veri oratores poëtaeque de se ipsis rite testantur: est Deus in nobis, agitante calescimus Illo.

Porro Orator sacer ostendat eloquentiam sacram eam ob caussam prae reliquis omnibus dicendi generibus excellere, quod eloquentia sit Christiana, suaque dicendi argumenta, consolationes, exhortationes, omnem suam materiam ex sempiterni Dei verbo petat; quod ora-

tor sacer nullam aliam scientiam tradere nec docere velit, nisi Christum, cruci affixum, quod cogitate et considerate omni eruditioni omnibusque rhetorum artibus, huii proposito contrariis, renunciet, nihil aliud nuntiare sibi proponat nisi simplicissimam Evangelii doctrinam, cujus argumentum primarium est articulus ille fidei de Christi morte salutari; - eam ideo ab omnibus reliquis eloquentiae generibus diversam esse, prouti τὰ ἐν τοῖς οὐρανοῖς differant a τοῖς ἐπὶ τῆς γῆς; - se propterea etiam gloriari posse honore, quo longe Demosthenes, Cicerones, Hortensios superat, quo suggestus sacer nequaquam comparari potest cum tribunali, foro vel scena, quod κήρυγμα vere Christianum numquam senescit. Quae illa pronunciat eloquentia Christiana valent ad excitanda et implenda ea, quorum constanti tenemur cupiditate, - quae illa efficit vim sempiternam habent in vitam aeternam nobisque absconditam, - quae illi materiam praebent recondita jacent in oratoris sacri conscientia et in magna spe gratiae, a Domino ipsi promissae, - quae illa spectat, sunt pectoris amor, mentis fiducia, animique pax, sed prae omnibus Χριστοῦ, τοῦ ἡγουμένου approbatio ac benedictio Domini Optimi Maximi.

Tandem. Quodsi Christus Evangelii nuncio exemplo erit; - quodsi eloquentia sacra revera erit Christiana, verbi divini minister omnibus numeris Christi sit imitator unice requiritur. Curabit imprimis, ut in sua ipsius mente regnum Dei sit conditum. (1)

(1) Legi merentur, quae hac de re monet Claus Harms:

Ille praesertim imbutus sit necesse est veneratione, reverentia, timore Dei, eique insit gratus animus atque integra in Patrem omnia curantem fides. Tum quoque submisso semper ac hilari animo se Ei subjiciet, Ei obtemperabit, Eique se plane confidet. Tum etiam fiducia de gratuita nostra redemtione per Jesum Christum apud eum virtutis fons erit ac principium; - tum etiam Domini Jesu Christi, Sospitatoris nostri, gratia, Deique amor erga homines, animum ad mutuum amorem incendent. Tum Evangelii praecepta ei etiam norma erunt, secundum quam vitam suam instituat. Tum promissi auxilii opisque divinae fiducia, tum magna futurae beatitatis spes eum stimulabit, ad breve vitae terrestris spatium impendendum, ut quam plurimum prosit Christianae Ecclesiae in honorem Dei Ejusque Filii, nostri in crucem sublati Redemtoris ac Domini, gloriam. - Verbo: orator sacer vir bonus sit, necesse est, si dicendi peritus erit; et semper de eo, qui in dicendi denunciandique munere Magistri premere studet vestigia, valebunt praeclara haec Werenfelsii epigrammata:

Pastoral-Theologie: „Laat de Evangeliedienaar een christen wezen, een christen in zijn hart, dan zal hij het in zijne ambtsbediening wel weten te treffen, wat hij doen en wat hij laten moet; en omgekeerd, hapert het hem op dit punt, dan zal hij, met alle regelen, toch het regte niet treffen, of treft hij het, met dat al de pligten van zijn ambt niet uitstekend vervullen, ja, zal hij het welligt des te heilloozer bekleeden, hoe meer regelen van voorzigtigheid hij geleerd heeft, hoe meer hij zijne gebreken en hetgeen nog erger is dan gebreken, door een uitwendig geregeld gedrag heeft leeren bedekken." *Vers. Belg.* pag. 8.

Quid Pastor absque sanctitate est? Histrio:
Bonus histrio, si sanctus esse creditur.
Malus histrio, si qualis est cognoscitur.
Bono sed histrione nil est rarius.
Quisquis oves Christi vis pascere, dispice primum,
Ipsene sis veras illius inter oves.
Qui non ex ovibus, qui non est de grege Christi,
Quicquid agat, pastor non erit ille bonus.

Semper enim regula vigebit neminem umquam quidquam dicere vel docere posse, quod ipse non intelligat, quod ipse non penitus sentiat, - neminem alios movere iisque persuadere posse, nisi ipse sit commotus, — eumque tantum optima praecepta ac monitiones aliis tradere, qui ipse fidelissimum atque perfectissimum auditorum sive discipulorum sit exemplum. — Nonne igitur Orator sacer, qui Deum tanquam Patrem, Creatorem, Gubernatorem omnium rerum proponet et homines ad Illius cultum Ejusque sanctarum legum adorationem excitabit, - nonne ipse illi Deo fidem habere omnique pietate atque virtute Eum colere debet? Numquam certe e congestis aliorum meditationibus vel e systematica doctrina Evangelium denuntiare poterit. Quidquid enim mentem movebit e mente proficiscatur necesse est; ingenium fortasse et animum excolet, aedificare vero et ad pictatem ducere nunquam poterit. Animus enim ac pectus, in quo vera religio operatur, habitat, vivit, - pectus, inquam, tangendum et movendum atque ad fidem Deo Jesuque Christo habendam excitandum et incendendum

(1) Vidd. *Opuscc. theoll.* caett. T. II. p. 506 sq. ed. 3ae.

est. Non sunt systemata ac dogmata, non inanes regulae ac praecepta, quae oratori sacro tradenda sunt, non est ars quaesita, quae ejus actionem regere debet, - sed veritas integerrima, e pectore fluens, sacrorum Antistitis vitae ratione comprobata, - intima et firma persuasio, viva et operosa fides, quae eum ad sanctam animi perturbationem incendere et extollere, atque auditores vehementer commovere ac percellere debet. Profecto! Ipse praesertim Evangelii nuncius integram fidem iis habeat necesse est (1); quae aliis denuntiat, quae aliis

(1) Egregie ita Voorhoeve, in libello: *Het Beeld van Molster*, p. 1.: „De Evangelieprediker moet een geloovige zijn. Wat hij aan anderen predikt, moet hij zelf in meerdere of mindere mate ervaren en doorleefd hebben. Als getuige der waarheid, moet hij uit de christelijke ervaring en het geestelijk leven bladzijden kunnen opslaan, waarmede hij zelf vertrouwd is en bekend. Gebed en gemeenschap met den Heer, innerlijke strijd, zelfbeheersching en verloochening van eigen zin en lust, overwinning op zonde en verzoeking, wasdom in christelijke kennis, ervaring en leven, 't zijn verschijnselen, waarvan hij als *getuige* moet kunnen spreken, verschijnselen en ervaringen, die hem niet vreemd behooren te wezen. Geen bloot theoretische kennis, die het hart koud laat en onbevredigd, geen doode en levenlooze orthodoxie, waaraan geest en warmte ontbreekt, geen blindelings overnemen van waarheden, die men zelf niet verstaat, en in beoefening tracht te brengen, kunnen den prediker vormen. Maar de waarheid moet in hem leven geworden zijn. De vrees beziele hem gedurig, dat, waar hij anderen predikt, hij zelf niet verwerpelijk bevonden worde. Zijne verklaring en belijdenis moet die des Apostels wezen: ik heb geloofd, daarom heb ik gesproken: zoo gelooven wij ook, daarom spreken wij ook. Wat *uit* het hart voortkomt, gaat gereedelijk *tot* het

mandat, quae alios monet ipse faciat, ipse imprimis sit, quales alios reddere studet, sanctus, pius, probus; viva ac vera pietate, casto amore, invicta virtute Dei nuncius sacratus atque intemerata puraque sanctitate divino ministerio dignus esse conetur. Tum demum redemtionem e Deo oriundam perficere regnumque Dei extendere poterit. Tum demum ostendet se Domini voci, ad exemplum suum vitae ratione ac moribus imitandum exhortanti, vere obtemperasse. Ita Christi regnum in eo condi oportet, ut postea per eum extendatur. Ita Christi sit imitator!

Et hoc simul indicat e quonam fonte oratori sacro eloquentia haurienda sit. - Primum diligenter et pio religionis sensu et continue Christi orationes legat. Experientia enim historiaque docuerunt Eloquentiam sacram tantum tali lectione indolem suam servare oratoremque sacrum hac maxime ratione in dicendo valere. Deinde, prouti pictori, apud quem phantasia primas agit partes, colorum notitia et anatomiae ac historiae scientia necessaria est, sine quarum peritia illa fingendi facultas ei nullius utilitatis est, - sic oratori quoque opus est artibus, disciplinis, quae exercitationis tantum ac diligentiae ope comparantur. Has igitur

---

hart. Als hij een levend getuige van zijnen Heer is, gevoelt de gemeente zich door zijne verkondiging opgebouwd, geheiligd, gesticht. Hij verkrijgt op zijne hoorders een invloed, dien hij niet angstig zoekt en najaagt; maar welke het noodwendig gevolg zijner levendige verkondiging is. De Gemeente dorst naar waarheid; zij heeft den Prediker lief, die haar tot de bron der waarheid leidt."

acquirere studeat! - Praesertim vero, quemadmodum pictori materiae et instrumenta inutilia adjumenta sunt, nisi artificis mens ea quasi spiritu imbuit et animat, ita oratori sacro omnes illae artes disciplinaeque pereunt omnemque vim amittunt, (1) nisi oratoris mens vera Christiana et animus vere Deo dicatus, eas evocat ac vigore et fervore implet. Si cum Paullo dicere poterit: ζῇ ἐν ἐμοὶ Χριστός, magno animi ardore atque fervore dicet, fiduciam Spiritu Domini reponens, qui per eum ad auditores loquitur, ejus eloquentia non amplius ars erit, sed virtus fiet Christiana. - Servatoris promissum etiam de eo valebit: μὴ μεριμνήσητε πῶς ἢ τί λαλήσητε· δοθήσεται γὰρ ὑμῖν ἐν ἐκείνῃ τῇ ὥρᾳ τί λαλήσετε. (2)

Et quanto lubentius, certius, constantius de religione ejusque praeceptis dicturus erit orator sacer, quum sua experientia edoctus est, quam saluberrimam vim Christiana religio ad animum emendandum ac tranquillandum habeat, quum certissime ipsi persuasum

(1) Sponte enim auditoribus, licet oratoris ingenium admirentur, tale quid in mentem venit, quale illud Gallici Poëtae:

. . . . . „On t'admire,
Mais rarement on t'aimera:
Ce qui sûrement touchera,
C'est ce que le coeur nous fait dire;
C'est ce langage de nos coeurs,
Qui saisit l'ame et qui l'agite;
Et de faire couler nos pleurs
Tu n'auras jamais le mérite."

Poésies de Chaulieu, *Ode contre l'Esprit*, p. 29.

(2) *Matth.* X: 19.

est, se institutione religionis aliis non onus atque jugum imponere, sed verae eorum saluti prospicere. Rogabit, denuo rogabit, monebit se nemini injuriam facere, non muneris publici causa ita se dicere sed veri studio ductum et vero aliorum amore commotum non aliter se loqui posse et debere. Ipse reverentia erga Deum plenus, eundem sensum et aliis instillabit. Ipse omnia ad Deum referens aliis quoque hunc animum injiciet, ut omnia ad Dei voluntatem ac consilia referant. Ipse religionem cum omnibus vitae suae conditionibus, negotiis, commodis et incommodis conjungens, alios quoque ita instituet, ut videant, quomodo eam cum iis, quae ipsis aliisque accidant, conjungere possint. Rationibus, quibus ipsius animus emendatur et tranquillatur, aliorum quoque animos emendabit et tranquillabit. Ipse virtutis naturam non in ritibus factisque externis ponens, sed in excolendis formandisque animi sensibus, docebit et alios internos animi sensus ante omnia esse excolendos. Ipse suavissima ac firmissima animi hilaritate perfusus eam in aliorum animis excitare et corrobarare studebit.

Ita ostendet magnum et sublime Christi exemplum se non frustra sibi imitandum proposuisse. Ita reconciliationis verbum denunciabit secundum unicam scriptorum ss. regulam, eadem mente, eodemque consilio, quae in Christo regnabant. Tum Deus, Pater coelestis, qui eum ad sanctum ministerium vocavit, ei praelucebit spiritu suo, eum corroborabit manu sua, et ita in munere reget, ut in

ipso recte et foecunde versetur ad splendorem nominis Ejus augendum finesque Regni Ejus Filii latius proferendos. - »O, admirabilem animi vere Christiani vim", exclamamus cum uno clarissimorum nostrorum oratorum; atque huic dissertationis nostrae parti finem imponimus votis et precibus ejusdem: (1) »Te utinam cognoscant utinam teneant omnes, qui ad oratoris sacri munus et laudem adspirant, ut ita primum boni esse studeant, dein eloquentes! Sic omnibus declarabitur eloquentiae sacrae cum natura tum dignitas. Sic tandem, ex ipso animo prodiens, patebit veritatis, virtutis, pietatis administra, felicitatis nuncia, quae in hujus vitae itinere, ad coelestes re-

---

(1) Verba cl. v. Oordt, Or. l. p. 21 sq. Ex industria hoc de argumento nihil amplius conscripsimus, quam ea, quae ad integrum judicium et intellectum sequentium maxime necessaria, apta et utilia esse putavimus. Argumentum autem dignissimum est, quod data opera et accurate exponatur; legantur igitur Ernesti, Oratio *de Eloq. pectoris*, p. 23-27 in ejus *Opuscc. Oratt.*; - Theremin, *Bereds. e. Tugend*, p. 63-67, 92-94, 109-111, 183, 184, et alibi; Heringa, *kerk. Raadvr. en Raadg.* III. I. p. 29, et imprimis IV. I. p. 164-178; - Spalding, *L. l.* p. 100 et 101, praesertim p. 232-239; - Van Oordt, Oratio l. p. 200-222; - Fénélon, *Gesprekken*, p. 191; La Bruyère, in fine ejus commentationis „*de la Chaire*," tandem G. J. Vinke, in *diss.* p. 213 et scriptores quos ibi laudat. Neque operam perdit, qui leget ea, quae Bodinus aliquando attulit contra praeceptum: *Oratorem esse debere virum bonum dicendi peritum.* Cf. ejus *Diatribe contre l'art Oratoire*, p. 75 et 76, cujus dicta postquam a scriptoribus supra memoratis fusius elaborata atque validissimis argumentis refutata sunt nequaquam digna sunt quae refellantur.

giones viam aperit et quasi digito monstrat! - Tu benignissime Deus! tales largiaris doctores Christianos, qui Jesu Christi Apostolorumque instar ex intimo animi sensu loquuntur, horum numerum in dies augeas, ut tuae voci, per hos cohortanti, auscultent homines, et Te per Jesum Christum colant omnes, tuo favore beati!"

PARS SECUNDA.

DE JESU CHRISTI ELOQUENTIA, ORATORI S. IMITANDA, RATIONE HABITA MATERIAE, IN EJUS ORATIONIBUS ELABORATAE.

Τὰ ῥήματα, ἃ ἐγὼ λαλῶ ὑμῖν πνεῦμά ἐστι καὶ ζωή ἐστιν.

Christus.

Κηρύξατε τὸ εὐαγγέλιον.

Christus.

Οὕτω λαλοῦμεν οὐχ ὡς ἀνθρώποις ἀρέσκοντες, ἀλλὰ τῷ Θεῷ, τῷ δοκιμάζοντι τὰς καρδίας ἡμῶν.

Paullus.

CAPUT PRIUS.

DE ORATIONUM, A JESU CHRISTO HABITARUM, ARGUMENTO ORATORI SACRO IMITANDO.

SECTIO PRIOR.

DE ORATIONUM A JESU CHRISTO HABITARUM ARGUMENTO.

Quemadmodum Christus officia, placita, atque exspectationes religionis, verbo, orationum suarum argumentum non definito ordine exponere solebat, sic consuetudo illi non erat doctrinae systema de Deo, de hominis necessitudine cum Deo ac proximo suo, e consilio praestituto singula deinceps ac gradatim interpretandi et docendi. E diversis περιστάσεσιν occasionem arripiebat, modo hoc, modo illud religionis, dogmatices vel ethices caput tractandi. Nihil tamen obstat, quominus omnia illa capita, quamquam varia et a se invicem diversa, ad unum argumentum prima-

rium referamus, unique capiti, ut partes totius, subjungamus. Sic igitur inquisitioni »quid Jesus proprie locutus fuerit," haud amplo opus erit responso. Magnum enim Jesu κηρύγματος thema, ac fundamentum omnium Ejus orationum doctrina erat regni coelorum, regni Dei, regni Messiae, illius regni veritatis, virtutis, beatitudinis, quod antea ut Dei propositum erat denuntiatum, quodque Christus nunc in terra conditum venit. (1)

Quod igitur inprimis orationum argumentum efficit, est saepius iterata denuntiatio Dei regnum venisse, se a Patre ad omnium salutem esse missum; eum, qui in Filium credit, vitam habere aeternam, - sine mundo ac regenito corde neminem regnum coe-

---

(1) Quid verbis: βασιλεία τοῦ Θεοῦ, βασιλεία τῶν οὐρανῶν intelligendum sit, egregie sic exposuit doct. v. Oosterzee, *Leven v. Jezus*, T. I. p. 462, 463: „Beurtelings wordt bij dit woord in het Evangelie de eene of andere zijde van het algemeene gronddenkbeeld op den voorgrond gesteld, en het verwondert ons niet, dat de uitleggers in de verklaring er van zoover zijn uitéén geloopen. Wij kunnen ons evenmin vereenigen, met hen, die deze benaming voor gelijkluidend met die van Christelijke kerk, als met anderen, die haar als uitdrukking der hemelsche gelukzaligheid opvatten. Wij denken bij het woord koningrijk der hemelen aan eene maatschappij, waarin God Opperkoning is, waarover Christus in zijnen naam alle magt heeft ontvangen, waarvan de aard, wetten en zegeningen geestelijk zijn, die bestemd is zich over de geheele aarde te verspreiden, de menschen door Christus onderling en met God te verbinden, en daarboven in de hemelsche gelukzaligheid heerlijk te worden voltooid."

leste posse intrare. Sunt sententiae quibus provocat ad scripturam sacram adque miracula sua, quibus de Eo Pater reddit testimonium, — graves, ut in Christum crederent atque a peccato desisterent, exhortationes, - serii admonitus, ne Eum rejicerent summum Dei legatum, unigenitum supremi Numinis filium; - descriptiones symbolicae regni Messiani, praesertim vaticinia illius fatorum; - denique incitamenta, ut Ejus nominis causa omnia relinquere vellent Ejus sectatores, inprimis vero ut discipuli strenue constanterque permanerent in opere, quod iis mandaretur. En princeps Jesu orationum argumentum!

Semper, quo loco aut tempore verba faciebat, orationes Ejus de divina hominum societate, de τῇ βασιλείᾳ τοῦ Θεοῦ ab ipso constituenda perficiendaque agebant. Non tantum sub vitae finem dixit τὸ εὐαγγέλιον τῆς βασιλείας ἐν ὅλῃ τῇ οἰκουμένῃ denunciatum iri, ut μαρτύριον esset πᾶσι τοῖς ἔθνεσι, (1) - atque τὸ Evangelii κήρυγμα omnibus populis faciendum, conditionem posuit reditus sui et mundi perfectionis; (2) - non tantum per totam vitam suam in parabolis, ut satoris ac seminis (*Matth.* XIII : 3-23 coll. *Marc.* IV: 3-10, *Luc.* VIII: 4-15) tritici et zizaniae (*Matth.* XIII : 24-43) grani sinapis, fermenti, thesauri, margaritae, sagenae, (*Matth.* XIII: 31-50) regis et ser-

(1) *Matth.* XXIV: 14 coll. *Marc.* XIII: 10.

(2) Conf. Oratio cl. Abm. des Amorie v. d. Hoeven, habita in concilio Societatis missionariae Neêrlandicae, a. 1849, m. Julii. d. X. (de *Marco* XIII : 10).

vorum (*Matth.* XVIII: 23-35) patrisfamilias atque operariorum in vinea (*Matth.* XX: 1-16) multisque aliis, quas de rebus regni divini habuit, Deum Patrem tamquam summum Regem, se ipsum, ut principem a Patre constitutum, Evangelium ut vitae vere vitalis normam, discipulos ac sectatores ut cives ac liberos regni coelorum proposuit; — sed jam initio μετανοίαν flagitavit, quoniam appropinquavit regnum coelorum. (1) Prima vice, quum dicens prodiret, omnes adhortabatur ut felices fierent regni divini cives, eosque monuit ut majorem praestarent justititiam ac virtutem, quam Scribae et Pharisaei, non nisi vanum virtutis simulacrum captantes. (2) Dei regnum Ejusque justitia primum quaerenda erat, caetera deinde abunde adjicerentur. (3) Sed haec sufficiant! - ubi enim finem inveniremus, omnia testimonia si afferre vellemus, quae nobis in promtu sunt ad probanda, quae contendimus: doctrinam de βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν semper fuisse argumentum primarium, e quo omnes Ejus orationes fluxerint et quo omnes referri possint.

Oculos autem si ad dicendi consilium, quod Jesus habuit, convertimus, orationum argumentum cum κηρύγματος fine ea sit necessitudine necesse est ut illud prorsus huic respondeat. Finem enim moralem nonnisi morali ratione assequi possumus, et qui pro veritatis regno vult laborare, tantum persuasionis

---

(1) *Matth.* IV: 17.
(2) *Matth.* V: 20.
(3) *Matth.* VI: 33.

via ad animum humanum pervenire potest. Si igitur verum est, quod parte antecedenti diximus, Sospitatorem primo quidem loco sibi proposuisse Patris honorem suis orationibus augere auditoresque ad veros regni coelorum cives, ad fidos sectatores ac discipulos formare; si verum est Eum Judaeorum animos veritatis verbo apertos optasse, - omnino proposito suo convenienter loquebatur, quum illis, quomodo conditum fuerit illud Dei regnum, ejusque naturam et postulata detegeret, - quum cognationem, quae esse debuit et re vera erat hominem inter illudque regnum, explicaret, - quum illis res futuras regnique illius finem, benedictiones salutemque quae integros hujus regni socios et incolas manebant, monstraret, - quum incrementum propagationemque coelorum regni exponeret, - quum ejusmodi animorum conversionem cordisque emendationem postularet, ut idonei talis regni essent cives, - quum vitia, illis adhuc inhaerentia, eruere conaretur, - quum corruptionem impugnaret, cujus vi multorum aures vocem ejus hortatricem audire nolebant, - quum sacerdotum dominationi, quae omnibus tenebrarum nebulis sapientiae Ejus radios abscondere studebat, se opponeret, - quum popularium suorum opiniones, studia, exspectationesque delere quaereret, quae quominus Ejus verba vim in animis haberent, impediebant, - quum praejudicatas vulgi opiniones miranda enervaret sapientia, - quid multa? Profecto! Summo jure Christus dicitur mundo lumen incendisse, mundi lumen esse. Suis enim sermonibus mundum lustravit hominibus-

que singulis suum in eo locum assignavit illiusque conscios reddidit, quum in tenebris antea versaretur genus humanum, suaque officia ignoraret.

Modo diximus morale dicendi consilium assequi posse neminem, nisi ratione morali, atque his quoque usum esse Christum quis est, qui neget? Placita ethica argumentaque consilio suo adhibuit, ut hominis conditionem corruptam emendaret humanamque naturam ad Dei imaginem, ut exemplum unicum omnis perfectionis moralis reformaret; jure igitur Jesum, qui belgice vocatur »Zedeprediker," sive doctorem moralem dicere possemus, quamquam nonnulli hanc vocem ut convicium usurparunt, (1) saepe enim hac quum utuntur voce, eam non dubiis misericordiae vel reprehensionis indiciis comitantur; quo tamen vituperationis sensu acceptam eam nolumus. Doctrina sane moralis, quam docuit Jesus, erat ethica religionis Christianae, exemplo suo magis efficax reddita. Quemadmodum enim religio et doctrina moralis se invicem comitentur oportet, ac nulla unquam religio praeceptis moralibus fuit destituta, - sic etiam in divino religionis Christianae conditore numquam separatae sed arcte erant conjunctae. Omnia igitur ethices praescripta ad Deum refert, sive admonet aut consolatur, aut docet, semper suas sententias cum illius Dei cogitatione conjungit, quem Patrem omnium hominum denuntiavit, quem in minimo etiam

---

(1) Vid. omnino Marezoll, *over de Bestemm. v. d. Kerk. Redenaar.* p. 40, coll. Spalding, *Nuttigheid van het Predikambt* p. 210 sqq.

Ejus operum animadvertere jussit, ut Providentiam semper agentem proponeret auditoribus. (1) - Praesertim autem placitorum ac praeceptorum suorum moralium vim auxit subsidiis argumentisque non tam ad res exteriores quam ad interiores pertinentibus. Oratio illa montana, quae maxime oratio moralis est dicenda, documento sit, quam apte Dominus singulis mandatis argumentum, e similitudine cum Deo sumtum, adjiciat. Propterea in intimum descendit hominum animum, veram humanae indolis naturam cognoscendam tradidit legumque moralium vim, et in natura et in patefactione manifestatam, naturam denique atque indolem virtutis Christianae, quae ad vitam applicata, officiis christianis colendis conspicua fit.

Quum igitur tam scite dogmaticam atque ethicam disciplinam conjungeret, ut uno quasi vinculo tenerentur, numquam praecepta tradidit mere theoretica, quae auditorum vitam vivendique rationem nullo modo spectarent. Disciplina Ejus ad minimas descendebat res, quibus homini ad credendum recteque vivendum opus esset. In sermonibus Ejus non tantum inveniuntur generalia quaedam indicia eorum, quae olim credebantur, pravarum praejudicatarum opinionum reprehensiones, exhortationes monitionesque, quae brevem tantum habent vim, quarum momentum non diu post perit, sed, ut jam vidimus, semper ea tractabat

---

(1) Conf. expositio Jesu de Deo doctrina a Clar. J. H. Scholten, in opere: *de Leer der Hervormde Kerk in hare grondbeginselen*, Lugd. Bat. 1850, T. II. p. 13 sqq.

argumenta, quae omnibus essent utilissima. - Christus enim Deum nobis patefecit Ejusque cognationem cum mundo; Deum illum in se ipse patefecit, praestantiam atque mentis humanae indolem ejusque cum Deo totaque rerum natura patefecit necessitudinem. Deum illum proposuit ut Spiritum, omnia sua gratia penetrantem et animantem; nos quoque in Eo vivere, nos movere et esse jam ante Paullum docuit, Eum esse in nobis, Eum ut spiritum solum per spiritum colendum esse et in spiritu, Eum Deum esse viventium, non mortuorum, Deum caritatis, clementiae ac misericordiae. Illum Deum non nobis proposuit ut ignem delentem, sed multo magis ut Patrem amore erga liberos plenum, quem adire debemus non prae metu trepidantes, sed puerorum instar, ut Paullus egregie dixit, animo precantes: Ἀββᾶ ὁ Πατήρ. (1) - Se ipsum Dei legatum professius est, per quem aeternam suam Patre erga homines caritatem patefecit, quemadmodum per naturam Creatorem se ostenderat. Deus ipse Eum mundi Messiam constituerat; ideoque dixit: πιστεύετε εἰς τὸν Θεὸν, καὶ εἰς ἐμὲ πιστεύετε (2), ἐγὼ καὶ ὁ πατὴρ ἕν ἐσμεν. (3) - Nos hac in terra hospites ac peregrinos esse, jamdudum ab Abrahamo ejusque posteris dictum erat, - Christi sectatores autem haeredes fieri salutis aeternae, nobisque per Spiritum Sanctum ad eam nosmet ipsos informandi

(1) *Gal.* IV: 6.
(2) *Joh.* XIV: 1.
(3) *Joh.* X: 30.

facultatem esse concessam, a Jesu nobis est patefactum. - Haec est illa divinitus nobiscum communicata religio, qua Deum, regnum coeleste, nosmet ipsos, Jesumque quem Pater misit ad animos beandos cognovimus. Haec est ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ, quam denunciavit, quam omnes per Jesum Christum, Dominum nostrum ac Sospitatorem, possidere poterimus.

Num plura mihi addenda sunt ad demonstrandum Jesum in dicendo captu difficiles et subtiles contemplationes non admisisse, e quibus nullum auditor percipiat fructum? Num praeterea verba Ejus sunt considerandа, ubi flentibus, doloris aut peccatorum jugo gravatis, consolationem polliceatur, illud doloris jugum perfringat peccatique vincula solvat? - ubi esurientes et sitientes justitiam abundis ex aquae vitae fonte haustibus satiet? — ubi spiritu pauperibus insatiabili majoris scientiae, roboris salutisque cupidine cruciatis, Dei regni participes esse promittat? - ubi egenos et persecutione affectos propter justitiam, pace ac laetitia divites reddat eo, quod illis praenunciat, fore ut Deum praesentem praesentes adspicerent inque coelestis felicitatis luce ambularent? - ubi misericordibus Dei gratiam polliceatur, pacificisque promittat eos vocatum iri Dei filios. Summo jure profecto primam in terra Evangelii denunciationem hisce Jesaïae verbis incipere Illi licuit: »Πνεῦμα Κυρίου ἐπ' ἐμὲ, οὗ ἕνεκεν ἔχρισέ με. Εὐαγγελίζεσθαι πτωχοῖς ἀπέσταλκέ με ἰάσασθαι τοὺς συντετριμμένους τὴν καρδίαν, κηρύξαι αἰχμαλώτοις

ἄφεσιν, καὶ τυφλοῖς ἀνάβλεψιν, ἀποστεῖλαι τεθραυσμένους ἐν ἀφέσει, κηρύξαι ἐνιαυτὸν Κυρίου δεκτόν, (1).

Tandem si animadvertendi nobis fuit copia quantopere omnes sententiae, a Jesu populo traditae, ad vitam bene instituendam pertinerent, ita ut qui levis fuit animum attenderit, - qui animum attendit captus fuerit, - qui captus fuit ex ore pependerit ad verbum Ejus accipiendum, — hoc verbum, quaevis religionis argumenta aut placita tractans atque suo consilio adhibens, semper tamen unum habebat caput primarium tamquam τοῦ κηρύγματος fundamentum. Semper regni Messiani arcana ab eo proferebantur, illius regem vel originem, naturam aut legem, historiam fataque futura consideranda dum proponebat; — una argumentorum series omnes Ejus inter se conjungit orationes, quae primae Evangelii denunciationis verbis continetur: Μετανοεῖτε· ἤγγικε γὰρ ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν. (2)

---

(1) *Luc.* IV : 18, 19.

(2) *Matth.* IV : 17.

SECTIO POSTERIOR.

QUATENUS HAC IN RE JESU CHRISTI EXEMPLUM ORATORI SACRO SIT IMITANDUM INQUIRITUR.

Quum in omni oratione primum locum sibi vindicet inventio, nostrum est nunc inquirere, quid oratori sacro dicendum sit, ut orationes Christianae atque Evangelii denunciatio appellari queant. Hancce quaestionem Christo rursus nobis proponendo, qui ut exemplum ante oculos nostros versatur, solvere conabimur. - Christianam doctrinam eloquentiae sacrae fundamentum esse oportere, jam supra diximus, - perspicuam primariorum placitorum religionisque officiorum expositionem, - et veram ingenii excolendi ac convincendi rationem inprimis valere ad consilium assequendum. Haec autem non sufficiunt; sola enim disciplina numquam doctis et indoctis is fieri potest stimulus, qui animos eo adducat ut terrestrium voluptatum vinculis se liberent. Omnibus viribus igitur nitendum est, ut religionis sensus ac voluntatis vis interior moveantur; his ubi non satisfacit sermo, nullam sacra eloquentia efficacitatem habere potest. Gravissimae orationes propterea animos non tali prospero eventu movent, qualem merito habere

ἄφεσιν, καὶ τυφλοῖς ἀνάβλεψιν, ἀποστεῖλαι τεθραυσμένους ἐν ἀφέσει, κηρύξαι ἐνιαυτὸν Κυρίου δεκτόν, (1).

Tandem si animadvertendi nobis fuit copia quantopere omnes sententiae, a Jesu populo traditae, ad vitam bene instituendam pertinerent, ita ut qui levis fuit animum attenderit, - qui animum attendit captus fuerit, - qui captus fuit ex ore pependerit ad verbum Ejus accipiendum, — hoc verbum, quaevis religionis argumenta aut placita tractans atque suo consilio adhibens, semper tamen unum habebat caput primarium tamquam τοῦ κηρύγματος fundamentum. Semper regni Messiani arcana ab eo proferebantur, illius regem vel originem, naturam aut legem, historiam fataque futura consideranda dum proponebat; — una argumentorum series omnes Ejus inter se conjungit orationes, quae primae Evangelii denunciationis verbis continetur: Μετανοεῖτε· ἤγγικε γὰρ ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν. (2)

---

(1) *Luc.* IV : 18, 19.

(2) *Matth.* IV : 17.

SECTIO POSTERIOR.

QUATENUS HAC IN RE JESU CHRISTI EXEMPLUM ORATORI SACRO SIT IMITANDUM INQUIRITUR.

Quum in omni oratione primum locum sibi vindicet inventio, nostrum est nunc inquirere, quid oratori sacro dicendum sit, ut orationes Christianae atque Evangelii denunciatio appellari queant. Hancce quaestionem Christo rursus nobis proponendo, qui ut exemplum ante oculos nostros versatur, solvere conabimur. - Christianam doctrinam eloquentiae sacrae fundamentum esse oportere, jam supra diximus, - perspicuam primariorum placitorum religionisque officiorum expositionem, - et veram ingenii excolendi ac convincendi rationem inprimis valere ad consilium assequendum. Haec autem non sufficiunt; sola enim disciplina numquam doctis et indoctis is fieri potest stimulus, qui animos eo adducat ut terrestrium voluptatum vinculis se liberent. Omnibus viribus igitur nitendum est, ut religionis sensus ac voluntatis vis interior moveantur; his ubi non satisfacit sermo, nullam sacra eloquentia efficacitatem habere potest. Gravissimae orationes propterea animos non tali prospero eventu movent, qualem merito habere

debuerant, quia orator non intimas cordis in latebras descendit, - quia praejudicatas opiniones non intentis viribus impugnat, excusationes vel objectiones, multorum animis inhaerentes, non penitus enervat, - tandem, quia gravia argumenta non ea ratione adhibet, ut necessariam in audientium animis vim habeant.

Quemadmodum enim animadvertimus, Christus non tantum id spectabat, ut ingenio persuaderet, sed etiam animum ut commoveret ac voluntatem dirigeret. Non eo erat contentus, quod fundamentum posuisset, sed etiam aedificium in eo erat exstruendum, - non tantum agrum arabat, sed etiam seminabat; - ita demum aedificium ab Eo exstructum manere potuit, - sic semen germinare potuit fructusque proferre!

Itaque haec etiam curet Evangelii minister! Orator sacer omni opera auditorum ingenium excolere studeat necesse est! Multi quidem sermones sunt perutiles, in quibus quae ad exponenda dogmata et intellectum excolendum faciunt postponuntur, atque ante omnia elucet pietatis principium; in his tamen scientiarum quoque quaedam notitia posita sit necesse est, quandoquidem nihil quod animos commoveat sine notionibus aut intellectu exprimi potest. - Ab altera vero parte sermo non tantum instituendo ac docendo inserviat, sed quatenus eloquentia utitur, simul sensus sit manifestatio mentisque patefactio, - ita ut nulla habeatur oratio, quae hanc illamve ingenii facultatem inertem esse patiatur, at praesertim sensui

praebeat alimentum sententiis adhibendis, animo ac moribus auditorum fructuosis.

Quodsi enim vel leviter Jesu sermones consideramus, statim animadvertere possumus, Eum semper sic de Deo deque rebus divinis locutum esse, ut animus eo commoveretur hominesque ad vivendi rationem vere emendandam incitarentur. Dolendum igitur est, quod Evangelii ministri saepe ex hac via digressi sunt, de altero quum loquerentur idque auditores suos docerent, alterum prorsus negligentes, atque ita secernentes, quod Magister optimo modo conjunxit. - Adminicula, dicendique rationes indicavimus, quibus orator sacer ad finem suum ut perveniat uti potest. Solutionem igitur invenire conabimur quaestioni: Quodnam erit sermonum argumentum primarium, Christum si sibi imitandum proponit orator sacer?

»Κηρύξατε τὸ εὐαγγέλιον!" - Hoc discipulis a Domino erat injunctum, nec ullum ab eo tempore editum est mandatum, quod hujus officii vim enervet. Haec igitur verba ad unumquemque nostrae quoque aetatis Christi ministrum referenda sunt! - Κηρύξατε τὸ εὐαγγέλιον! (1) Nuntiate Deum patefactum in Christo,

(1) Ad. h. l. conferantur doct. G. J. Vinkii verba: *dissert. laud.* P. IV. c. II. § 2. p. 214: „Evangelium dico; Christus autem de cruce loquens aperte docet, qualis laeta annuntiatio sit intelligenda. Consolatoriâ enim suâ voce ad latronem factâ haud obscure indicat, intelligendam esse laetissimam illam promissionem omnium peccatorum remissionis, beataeque post mortem futurae vitae, τοῖς ἁμαρτωλοῖς annunciandam". rell.

Evangelii ministris observatum ac curatum. Unusquisque igitur superexstruat ἐπὶ τῷ θεμελίῳ τῶν ἀποστόλων καὶ προφητῶν, ὄντος ἀκρογωνιαίου αὐτοῦ Ἰησοῦ Χριστοῦ. (1) Uniuscujusvis κηρύγματος Christus sit centrum, medulla, animus ac vita, e quo omnia fluunt, in quem omnia redeunt. Ille cujusque adhortationis, consolationis, promissi, mandati sit fundamentum, - Ille totus, ὃς ἐγενήθη ἡμῖν σοφία ἀπὸ θεοῦ, δικαιοσύνη τε καὶ ἁγιασμὸς καὶ ἀπολύτρωσις. (2) Ille solus, quod unicus perditorum peccatorum Sospitator ac Mediator, quodque in Ejus nomine tantum omnes sapientiae ac salutis thesauri latent, - omnibus sine discrimine eadem nuntietur salus: Χάρις ὑμῖν καὶ εἰρήνη ἀπὸ Θεοῦ πατρὸς ἡμῶν, καὶ Κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ, quia omnes, nulla προσωποληψίας ratione habita, tamquam unum ovile sub uno pastore ad Patrem reducere vult.

Christum igitur denuntiet orator sacer, quod nulla peccatorum remissio promitti potest, nisi per Ejus sacrificium; quod nulla justitia Deo accepta dici potest, nisi fide Ei habita, quia nec spes nec consolatio aliqua offerri, neque de resurrectione aut de beata post mortem futura vita agi potest, nisi nitatur oratio Christo tanquam unico fundamento. (3)

---

(1) *Eph.* II: 20.

(2) 1 *Cor.* I: 30.

(3) Digna, quae hic commemorentur, nobis videntur Dav. Fr. Straussii verba: „Auch jetzt noch ist es leere Abstraction, zu meinen, die blosse Moral Jesu mit Einschluss etwa der Gottes- und Vergeltungslehre, sei noch das Christenthum:

Ita demum Evangelii denuntiatio revera fit Christiana; - vae autem verbi divini ministro, de quo pius at parum excultus Christianus affirmaret: »Dominum meum sustulit!" - Sic Christus, isque ἐσταυρωμένος, pauperi divitiis, longissime aberrato peccatori fiduciae, doctis sapientiae, indoctis lumini, Dei filiis gloriae, omnibusque populis paci erit. Si igitur omnis nostra in Christo posita est spes omnesque Christiani Eum laudant ac celebrant, - si vel lacrumae ab illis fusae, in Jesu corona factae sunt margaritae, eorumque laetitia in hymnis sese ostendit Conservatoris in honorem cantatis, - omnibus si est baculum, omnibusque unicus in ipsa mortis hora consolationis fons, - haec si ita sunt, ss. Antistes suo munere rite perfunctus erit; tum gloriari poterit, sibi datam esse gratiam a Deo, εὐαγγελίσασθαι τὸν ἀνεξιχνίαστον πλοῦτον τοῦ Χριστοῦ. (1)

Quamquam autem Christus princeps sit τοῦ κηρύγματος Evangelici argumentum, - atque omnibus vitam impertiens annuntiationis caput, quod in ora-

---

da diesem vielmehr eben das wesentlich ist, alle jene Ideen durch Christum vermittelt vorzustellen, alles Hohe, was der Menschheit Werth verleiht, und ebenso alles Leid, das sie bedrückt, an Christum zu entäussern, um es von ihm als Gnade und Versöhnung sich zurückzuerbitten. Wer diese Entäusserung, die das Wesen des Christenthums ausmacht, überwunden hat, der mag wohl noch Gründe haben, sich einen Christen zu nennen, aber Grund hat er keinen mehr dazu." *Christl. Glaubensl.* Vol. II. p. 174 sq.

(1) *Eph.* III : 8.

toris verbis conspicuum atque in animis penitus commovendis efficacissimum sit, - circum hanc personam primariam nihilominus aliae collocari possunt imagines, modo hoc ita fiat, ut unitas non disrumpatur, atque, omnibus ad argumentum primarium opportune relatis, oratio sit maneatque vere christiana.

Itaque materiem eligat orator sacer e sacris Veteris Foederis libris, sive ditiores N. T. adeat thesauros, - orationem suam argumentis ex iis haustis ut nitatur faciat, si vel eam extendat ad eas res, quas humani cordis, historiae profanae, naturae, doctrinae moralis aut alius cujusvis humanae scientiae notitia ei praebeat. - Quantam argumentorum ad singulas occasiones adaptatorum copiam in unaquavis fere sacrae scripturae pagina invenimus! Quam veram Dei Ejusque sapientiae ac clementiae, potentiae magnitudinisque, operum Ejus atque consiliorum, perfectionis infinitaeque caritatis notitiam ibi manifestatam videmus! Quam copiosus pulchrorum argumentorum fons, vitam ac doctrinam, fata et cruciatus Jesu Christi quum exponit orator sacer, Ejusque magnitudinem, amorem fidemque miratur! - quum de reconciliatione verba facit, de benificentia, fide, honestate, - de universa salute promovenda, - de officio nobis imposito ut nostra conditione contenti simus, - de Dei Providentiaeque fiducia, - de fortuna secunda grato animo accipienda, de rebus adversis submisse ferendis, - de vitae solitariae, laboriosae atque in frequentia hominum transactae officiis, - de continuo et ex operibus conspicuo Dei cultu! Quam late patet oratori sacro

campus de justa nostrum ipsorum existimatione ubi loquitur, de facultatibus nostris, studiis, affectibus, viribusque, de nostra cum Creatore creaturisque necessitudine, de praesenti ac futura nostra vita! - Quid multa? (1) - Hisce argumentis tractandis, men-

(1) Hanc rem quominus accuratius exponamus vetant egregia Timonis verba: „Le Prédicateur est maître de son sujet. Il n'est borné ni par les montagnes ni par les mers. Il descend dans les profondeurs de l'Océan pour y interroger la végétation obscure du plus petit coquillage. Il monte au-dessus des nuées dans les palais du ciel, tout resplendissants de lumière et tout peuplés de séraphins harmonieux. Il foule à ses pieds la poussière des siècles et des mondes, et de sa verge prophétique il chasse devant lui les générations qui n'ont pas encore vu le jour. Une fleur des champs que le vent arrache de sa tige dans un vallon solitaire, un volcan qui retombe en laves de flamme sur les toits d'une cité, un enfant qui meurt, un trône qui s'écroule, rien n'est étranger à l'éloquence sacrée."

„Mais ce qui, pour le Prédicateur, est plus inépuisable que la nature, ce sont les mystères de la religion et les secrets plus incompréhensibles encore peut-être du coeur humain. Quels trésors! Quelles misères! Quelles petitesses! Quelles grandeurs! Quels sujets! Soit qu'armé de la parole de Dieu, il commande aux orgueilleux l'humilité, aux haineux le pardon des injures, aux égoïstes l'amour de leurs frères; soit qu'il traîne les âmes épouvantées au bord des abîmes sans rivage et sans fond de l'éternité, qu'il les y suspende et qu'il les y plonge; soit qu'il les ramène de la nuit des tombeaux, qu'il les ravisse sur les ailes de son éloquence et qu'il leur ouvre les portes éclatantes du firmament; soit qu'il torture les consciences mauvaises et qu'il les pique avec la pointe du remords; soit qu'il dise au malheureux: Espérez! et aux petits enfants: Aimez-vous les uns les autres!" *Livre des Orateurs* (de Cormenin), seizième Edition, Tome I. p. 147, sq.

tem suam nec finem nec subsidia, quibus ad eum pervenire potest, nec Domini exemplum negligat orator sacer. Probe sane scimus e materiae delectu multum pendere, et ad illum recte faciendum cum acutum judicium, tum sentiendi facultatem excultam requiri, at ss. Antistes, cui suum semper obversantur gravissimum munus auditorumque salus aeterna, a divino sibi proponendo exemplo magnum certe auxilium impetrabit.

Una tantum mihi restat quaestio, quam in Jesu orationibus considerandis quoque posuimus: num oratori sacro disciplinae moralis doctorem esse liceat? - Cui si in Christum oculos conjicimus, affirmando respondere non dubitamus. Auditores enim quum officiorum moralium magis conscios reddere conetur orator sacer, eosque meliores suaque conditione magis contentos efficere velit, nonne orationes ejus maximam partem morales sint necesse est? Primo enim loco theologia moralis publicae ac populari religionis institutioni universas suppeditat notiones, - atque prodest eo, quod officii, virtutis et vitii, boni et mali, legis ac legislatoris, libertatis, felicitatis, conscientiae, obligationis, culpae notitiae rectius ac subtilius definiantur; deinde, quod singularibus publicae institutionis locis praebeat argumenta; adjicit enim theologia moralis adminicula, quibus haec nominatim virtus producatur, corroboretur, - obstacula, quibus retineatur, opprimit, - errorum falsarumque causarum tegmina, quibus consilia illius exercendae fiant irrita, impugnat; tandem non tan-

tum generales adhortationes a rerum natura petitas urget, (1) sed et officia indicat, virtutisque incitamenta Christianis propria, quae maxime e Christi morte, exemplo, resurrectione ac dominio petita sunt. -

Hac igitur in re orator sacer in magnum suum exemplum, Jesum Christum, quem imitandum sibi proponere cuique similis evadere summâ ope niti debet, oculos convertat!

(1) Summo adeo jure clar. Opzoomer in ejusmodi Orationes sacras invehitur: „In redenen," inquit, „aan godsdienst gewijd, wordt de deugd slechts als een aanhangsel behandeld, dat de gewoonte nu eenmaal vordert ook op te nemen. Men spant liever al zijne krachten in en gebruikt al den rijkdom der kunst, om ons tafereelen te schetsen van hetgeen voor eenwen moet zijn voorgevallen „(nos potius dixerimus: is voorgevallen)" of om ons stellingen te ontwikkelen, die het verstand niet kan volgen, dan om den sluijer op te ligten, waarmede de zondaar zijne gebreken bedekt, of de wonden te peilen, die hem de ondeugd geslagen heeft. Slechts kort, slechts in 't algemeen, wil men tot reinheid des harten opwekken; maar wat baten ons die onbepaalde aansporingen, die ieder als eene vermaning tot anderen beschouwt? Wel zou er meer menschenkennis worden gevorderd, maar hoeveel beter zou het ook zijn, als men den blik deed vestigen op de ontwikkeling van het booze, op de tallooze, kleine drijfveeren, die het in beweging brengen, op de drogredenen, waarmede men het verdedigt, de schoone namen, die men er voor heeft uitgedacht. Maar men wil er niet van hooren, de wereld heeft het eens voor altijd met den schandnaam van dorre zedelessen gebrandmerkt en zou de uitspraak der wereld geen waarheid zijn!" Et paulo inferius hisce verbis pergit: „Gelukkig zijn er die door een beteren geest worden bezield, en die zedelijke volmaaktheid als het ideaal beschouwen, dat ons is voorgesteld. Hun is de apostolische les: Zijt navolgers van Christus! de leus van het leven!" *Voorlezingen over het wezen der deugd*, bl. 10, sq.

CAPUT ALTERUM.

DE MATERIAE AD AUDITORES ACCOMMODATIONE, IN JESU CHRISTI ORATIONIBUS CONSPICUA, ORATORI SACRO IMITANDA.

SECTIO PRIOR.

Οἰκονομία sive Συγκατάβασις, IN JESU CHRISTI ORATIONIBUS PERSPICUA.

§ 1.

Praemonenda.

Haec enim sapientia maxime adhibenda eloquenti est, ut sit temporum personarumque moderator: nam nec semper nec apud omnes, nec contra omnes, nec pro omnibus nec omnibus eodem modo dicendum arbitror.

Cicero: *Brutus.* c. 35 § 123.

»Es ist ein ethisches gesetz, inquit Théremin, (1) dass unser Wirken auf Andere, den Umständen unter denen es unternommen wird, angemessen seyn soll."

(1) In aureo libello, *die Beredsamkeit eine Tugend.* p. 136.

Omissa autem quaestione, num omnes auctori laudato assentiantur, accommodationem legem ethicam dicenti, principium certe quo nititur non erit reprehendendum. Jesus enim exemplo suo quoque ostendit se sermonum argumentum ad rationem èt temporis èt loci, auditorum suique ipsius scite conformasse. Nam quamquam ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ, τῶν οὐρανῶν semper argumentum erat orationum ab Eo habitarum, quamquam semper magna eloquentiae vi de divina hominum societate a se conformanda perficiendaque loquebatur, atque omnia ad hancce societatem referebat; (1) quamquam Ejus verba omnes intelligere poterant gentes, et dicendi modus quo utebatur Ille, qui inter Judaeos natus fuerat et educatus, ad eosque loquebatur, nobis quoque praecepta, quae imitemur praebet, - nemo tamen erit, qui neget Christi sermones praesertim genti Israëliticae, hominibusque Ejus aetatis maxime esse accommodatos, et idoneos, qui illos miro modo docerent, emendarent, aedificarent. Quaenam hujus rei fuerit causa, si forte quis roget, facile responsum inveniet, secum reputans, Eum quae denuntiabat religionis placita, ad temporum rationem auditorumque captum ac requisita semper adaptasse. (2)

De Jesu ad auditores accommodatione (συγκαταβάσει), qualem in Ejus orationibus offendimus, breviter agere nos oportet. Fortasse erunt, qui dicant argumenti accommodationem ad hanc nostrae disquisitionis par-

---

(1) *Matth.* IV: 17; *Luc.* XII: 32; *Matth.* XIII.

(2) Cf. Marezoll; *Bestemm. v. de Kerk. Redenaar.* p. 10 sqq.

tem referendam non esse, magisque ad orationum formam pertinere, quandoquidem oratori sacro semper idem esse debet argumentum. Sed accommodatio, quae formam spectat, rite distinguenda est ab ea quae ad materiam pertinet; illa enim tantum in sententiarum ac notionum forma, ordine dicendique modo ad audientium captum se accommodat; haec vero materiam ipsam notionesque ad eorum sententiam commutat, ac sic opiniones praejudicatas atque errores quodammodo probare videtur. De accommodatione materiali hic tantum sermo est; - non enim necesse erit, ut longius exponamus aut affirmemus, nos, ubi materiales Jesu orationum virtutes et qualitates inquirimus, easque ut sermonibus necessarias laudamus, adaptationem materiae non autem formae, (1) spectare.

Accommodationis quae formam spectat necessitas, ut pote ex ipsa rei natura et indole profluens, non gravi impetu impugnata est; quod nulla ratione de conformatione materiali dici queat. Est species quaedam accommodationis negativa sive dissimulatio, qua scilicet orator aut praeceptor auditorum errores non directe aggreditur, silentio contra praetermittit. Haec toleranda est, nam omnibus per-

(1) Quae ad *formalem* accommodationem, qua in dicendo usus est J. C., pertinent, postea occasione data latius exponemus. Ad hoc enim genus partim referenda est ratio sententias ac cogitationes suas parabolis, similitudinibus, aliis involvendi, partim explicationes, e Judaeorum vita et conditione sumtae; allegoriae, imagines, proverbia et paradoxa; tandem quoque argumenta Ejus κατ' ἄνθρωπον; - quae omnia in parte tertia accuratius investigare speramus.

suasum est, oratores, quum nonnullorum opiniones praejudicatas aperte ac violenter impugnare et radicitus eruere vellent, saepe importuno tempore ac inconsiderate rem egisse, animosque potius ad voces suas clausisse, - quibus fortasse, si initio eas silentio praetermissent, aditus in animum ac mentem patuisset, quo facilius errores illi penitus tolli ac deleri potuissent. Inde etiam factum est, ut magna hominum notitia qua Jesus gaudebat ac sapientia in accommodatione illa adhibenda laudaretur. - Ac profecto! non omnia religionis placita uno exposuit tempore, non omnes errores, in quibus versabantur Ejus discipuli aut Judaei, statim impugnavit; at multa quae capere nondum poterant reticuit; quin longum saepe tempus morabatur, priusquam opiniones praejudicatas erroresque refellere conaretur. (1)

Alia autem praeterea recensetur accommodatio ad materiam spectans eaque positiva, quae errores, vitiaque probet falsasque opiniones quasi veritate fundatas confirmet. Haec ea est, quae plures in campum provocaverit oppugnatores. - Jure enim contenderunt accommodationem numquam in mendacium verti licere, ut errores probet, veritatis specie ornet aut late dispergat sive firmet; - ac praeterea in institutionis vel orationis argumento normam esse oportere, qua verum a falso semper discernatur. Alii autem statuebant Jesum sine dubio in orationibus suis adhibuisse accommodationem hanc materialem positivam, - alii contra hoc vehementer negarunt.

(1) *Joh.* XVI : 12.

Itaque verbo dicere mihi liceat, quid hac de re sentiam. Ab altera quidem parte constat, divinum praeceptorem Jesum Christum in institutione sua ad Judaeorum suae aetatis cogitandi rationem crebro descendisse. - Eum, quo melius intelligeretur, sese conformasse ad innoxias vulgi opiniones, nemo est qui infitias eat; nec dubitari ullo modo potest, quin Magister erroribus, in populo suo vigentibus pepercerit, donec idonei essent homines, qui meliorem acciperent institutionem. - Ab altera vero parte cum reverentia, divino Doctori debita Ejusque auctoritate minime congruum mihi videtur statuere, Jesum indigna ratione sese ad humanam infirmitatem accommodasse. Praeter formalem igitur q. d. accommodationem, materialem etiam assumimus negativam; positivam vero q. d. accommodationem materialem in Jesu dicendi docendique consuetudine agnoscere nullo modo possumus; nostraque ideo Wiessneri facimus verba: »Seine grosse Wahrheitsliebe, sein Eifer und Ernst gegen schädliche Irrthümer, gegen Heuchelei und Laster sprachen sich überall eindringend aus." (1)

---

(1) *Geschichte der Christlich-kirchlichen Beredtsamkeit.* Tom. I. s. 72; - ad quae verba conferri merentur quae dicit vir doctissimus supra p. 70 et 71: „Auch in Betreff der Wahrheiten selbst hielt sich Jesus, nach ihm seine Apostel, zunächst an bekannte Lehren der Jüdichen Religion, sofern sie allgemeingültig waren" et quae sequuntur. Qui plura hac de causa legere velit, adeat pro accommodatione pugnantes: Vogelium, *Aufsätze theol. Inhalts*, 2 st., Nürnb. 1799 et van Hemert: *Over de Accommodatie in het N. T.* - contra Heringa et Bang: *Over*

Allatis igitur nonnullis exemplis videamus, quomodo Dominus, temporum ratione habita, κηρύγματος materiam conformaret et proponeret, sicuti suo dicendi consilio ipsi maxime consentaneum videbatur. (1) Quasdam propterea Jesu orationes in diversis locis, ad diversos auditores, diversis habitas temporibus perscrutari conabimur; - quas summo jure in quatuor dividi posse genera arbitramur: in orationes nempe a Jesu habitas 1°. in Synagogis, 2°. in Templo, 3°. ad discipulos κατ' ἐξοχήν, et 4°. ad mixtam auditorum frequentiam. (2). His singulis deinceps considerandis spera-

---

de leerwijze van J. en zijne Apostt. in Dispp. a soc. Hag. auro ornātis a. 1789; et C. V. Hauff: *Bemerkungen üb. d. Lehrart Jesu mit Rücksicht auf Jüd. Sprach, und Denkungsart*, 1788.

(1) Ita et Vener. P. van der Willigen in commentatione praemio ornata, supra jam laudata: „De redenen des Heeren," inquit „door de drie eerste Evangelisten geboekt, zijn, namelijk, doorgaans dezulke, welke door Hem voor het volk zijn gehouden en daarom naar deszelfs behoefte gerigt. In zijne verdedigingen tegen, en gesprekken met geleerde, beschaafde Jeruzalemsche of andere Joden, moest Hij (gelijk de Hoogleeraar van Hengel, *Teylers Godgel. Verhand.* XXIII D. bl. 69 volg., te regt opmerkt), zich natuurlijk anders uitdrukken, dan wanneer Hij het op onderwijzing van het volk of van zijne leerlingen toeleide. Ook moesten zijne troostende afscheidsredenen tot zijne Jongeren meer de verhevene taal des gevoels bevatten, dan zijne dagelijksche gesprekken met hen, die doorgaans eenvoudige uitboezemingen van zedekundige lessen of bemoedigingen waren." - bl. 78.

(2) Ita et eas dividunt Wiessnerus: l. l. T. 1, p. 76; et Eschenburg, *Versuch einer Geschichte der öffentlichen Religionsvorträge*, rell. p. 28 sqq. qui varias Jesu Orationes pulchra ac concinna brevitate exposuit.

mus fore ut ad id quod spectabamus pedetentim perveniamus, nostramque sententiam comprobemus.

§ 2.

Jesu orationes in Synagogis habitae.

Nostrae disquisitionis quatenus ad accommodationem spectat, initium facimus ab orationibus a Jesu in Synagogis habitis, ubi primam invenit occasionem Evangelii denuntiandi. In his autem docere jam incepit suos populares, quae postea accuratius iis patefaceret Conservator. Praejudicatae opiniones ac notiones inveteratae, quas de rege terrestri regnoque hujus terrae splendore fulgenti opibusque potente, fovebant, nimis adhuc eorum mentibus insitae erant, quam ut Dominus jam statim a κηρύγματος initio omni impetu eas adoriretur. Hoc enim si fecisset, valde eos deterruisset sibique infestos reddidisset. Omnis prudentia igitur, sapientia, hominumque notitia ei erat adhibenda. Nimis eo tempore ipsi γράμματος διάκονοι erant, quam ut prospero eventu ad eos de spirituali coelestique regno verba facere posset. Itaque ad tempora sapienter sese accommodavit et oblique tantum se ipsum denuntiavit, ut Sospitatorem illum a Prophetis in V. T. promissum, nondum eorum opiniones impugnans, qui arbitrabantur eum venisse, inviso Romanorum jugo ut eos liberaret. Maluit enim, ut facta sua ac miracula quam verba de se testimonium redderent: - Synagogarum quoque usus observabat.

Mos enim ibi erat, ut aliquis venia a presbytero impetrata loquendi, coram congregata multitudine sacrae scripturae partem stans legeret, deinde consideret, ad ea quae legerat interpretanda, exponenda auditoribusque adaptanda. Hunc morem etiam sequebatur Christus; et sic in rebus parvi momenti eis gratificans, *τὸ μὴ τιθέναι πρόσκομμα τῷ ἀδελφῷ ἢ σκάνδαλον* (1) curabat, - sic reticendo, quae nondum ad auditorum captum erant apta, ad locum, rationes, auditoresque, ut verbo dicam: ad ipsa tempora, quibus in synagogis Evangelium Judaeis nuntiabat, sese accommodavit. - Iis, quae diximus, uno alteroque exemplo exponendo lucis aliquid afferamus:

Dominus ubi munus suum susceperat pluresque jam urbes patriae Evangelii denuntiatione felices reddiderat factorumque suorum fama impleverat, in urbem suam Nazaretham rediit, in synagogam intravit ac surrexit ad locum aliquem e libris sacris legendum. (*Luc.* IV : 16 sqq). Liber Jesaiae illi datus est et incidit in capitis LXI initium, quod diserte salutem praedicebat, quae per Eum toti generi humano contingeret. Quam sapienter hunc locum elegit, quippe qui aptissimus esset, ad auditores dociles reddendos et attentos, viamque ad eorum animos parandam! (2) Nam nulla captivo gratior potest esse allocutio, quam haec: »Esto liber!," - nullus occaecato potest afferri melior nuntius, quam hic: »Visum recupera!" - nulla contrito et confracto laetiora verba dici possunt, quam

(1) *Rom.* XIII: 14.

(2) Cf. doct. v. Oosterzee, *L. v. J.* V. II. P. I. p. 124.

haec: »Sanare!" - Haec sublimia ac pulchra effata priscorum jam Prophetarum temporibus Israëlitae audiverant; nunc vero, quum Christus ipse prodiret doctrinamque suam iis traderet revera initium fuit salutis, Israelitis exsilii Babylonici tempore promissae implendae. Ecce! plus Propheta V. Foederis hic! nec iis praesertim temporibus Nazarethae incolis jucundior atque magis idoneus potuit afferri nuntius.

Magna eloquentiae vi gravissimam hanc veritatem iis denuntiavit; omnium saltem oculi in eum conversi erant; - initio quidem verbum in omnibus, qui Eum audiebant, vim habere videbatur efficacem; nam πάντες ἐμαρτύρουν αὐτῷ, magnaque voce Eum laudabant, καὶ ἐθαύμαζον ἐπὶ τοῖς λόγοις τῆς χάριτος, τοῖς ἐκπορευομένοις ἐκ τοῦ στόματος αὐτοῦ· (sect. 22.) Quodque modo sparsum semen tam cito suffocabatur exspectatione eorum terrestri, id maxime praejudicatae Judaeorum opinioni, quam de Josephi fabri lignarii filio habebant, tribuendum est. Nemo profecto erit, qui neget sermones Ejus, magni momenti ut erant Nazarethanis, eorum commovisse animos, idque maxime propterea quod, ut jam vidimus, usum, (1) tempus, locum eaque quibus opus erat auditoribus, (2) minime negligebat.

---

(1) Praeterquam quod Dominus morem usitatum sequebatur, eo quod Jesaiae locum lingua hebraica recitaret, ad usum quoque sese accommadovit in versuum numero, quos legebat. Cf. v. Oosterzee, *L. v. J.* II. I p. 123.

(2) Non possumus non pulcherrima hîc describere Doct. van Oosterzee verba, qui vol. I. *Orationum suarum sacr.*

Aliam orationem plane diversa occasione, alio tempore, ad alios auditores, simili autem loco, in Capernaumi nempe Synagoga habitam, relatam invenimus *Cap.* VI. *Evangelii Johannei*, inde a sect. 24ª. - In Galilaeae urbibus (ut e. g. Nazarethae vidimus) regnum coelorum appropinquare nuntiaverat et passim simul ut resipiscerent ac se converterent poposcerat. Quum Dominum autem Capernaumi in Synagoga offendimus, τὸ πληρῶμα τοῦ χρόνου vere jam venerat, praeparationisque dies elapsi erant. Temporibus igitur mutatis, mutata quoque Eum inter ac auditores necessitudine, κηρύγματος argumentum quoque amplificandum erat. Non tantum Dei regnum appropinquare nunc nuntiat, - non tantum Messiam venisse oblique declarat, sed aperte, quamvis allegorice, indicat se esse panem illum vitae, qui de caelo descenderat, omnesque qui hunc ederint panem in aeternum victuros; - non tantum magna vi, ut resipiscerent et se converterent, eos adhortatur; sed ut in Se crederent, graviter postulat.

---

p. 26 haec monet: „Jezus treedt te Nazareth op, en Hij rigt zijne prediking in naar de behoefte zijner hoorders. Terstond stelt Hij zijne Messiaswaardigheid in het licht, om alzoo een tegenwigt aan vooroordeel en aardschgezindheid te geven. Waar Hij voor verachten en vergetenen staat, spreekt Hij van een Evangelie, den armen verkondigd. Waar wonderzucht de oogen sluit voor de stille grootheid zijner menschelijke verschijning, tast Hij onbeschroomd die wonderzucht in de hartader aan. Waar velen gevaar loopen, schipbreuk te lijden, op de klippen des ongeloofs, wijst Hij hen later op de oude geschiedenis van Elia, die zoo luide de treurige gevolgen des ongeloofs predikte."

Sic verbum, quo Christus munus suum aggressus ac persecutus est, manifesto potest esse documento Eum in institutione sua gradatim processisse! Perpulchrum sane quod inter suos quum nuntiet Evangelium Orator sacer imitetur exemplum!

Quinam autem fuerint auditores, quibus haec dicebantur verba, si rogamus, videbimus eos ejusdem esse stirpis, quae olim miro modo in regione deserta panibus nutrita fuerat, esse Israëlitas, divites nobilesque Judaeos, cultiorem populi partem, qui jam antea Christum noverant, qui cum e verbis Ejus, tum e factis gravem de Ejus persona atque opere denuntiationem audire potuerant. Ad interiorem autem eorum indolem quod attinet, nimis adhuc terrestribus tenebantur rebus, pluraque de aurea Messiana aetate sibi proponebant, quam ut eodem ponerentur loco, quo multi minus cultorum civium. - Quaestio enim, qua Domini alloquebantur atque illud: τί ποιοῦμεν, ἵνα ἐργαζώμεθα τὰ ἔργα τοῦ Θεοῦ; (sectt. 25, 26, 28) germanam illam Judaeorum mentem, iis inhaerentem produnt; haec praeterea verba indicant, eos persuasum sibi habere, virtutem secundum legem requiri atque operibus Dei benevolentiam sibi esse acquirendam. Quaestio enim: οὐχ οὗτός ἐστιν Ἰησοῦς, ὁ υἱὸς Ἰωσὴφ, οὗ ἡμεῖς οἴδαμεν τὸν πατέρα καὶ τὴν μητέρα; (sect. 42) murmuraque de humili Ejus origine, satis superque ostendunt, eorum ἀπιστίαν causam fuisse, quare Ejus verba non intelligerent, parum eorum votis exspectationibusque respondentia. Tandem quum quae metaphorice dicta sunt proprie interpretentur ac rogent: (s. 34) Κύριε,

πάντοτε δὸς ἡμῖν τὸν ἄρτον τοῦτον, aut significationem ad litteram quam maxime urgeant, ut inde quam absurda fuerit pateat, ut e. g. sect. 52: πῶς δύναται οὗτος ἡμῖν δοῦναι τὴν σάρκα φαγεῖν, cum contemtu Eum despiciunt, et perseverantiam, qua Dominus terrestres imagines, ratione notionibus illis terrenis minime accommodata, adhibet, aegre ferunt; externam tantum formam, materialemque suam explicationem amplectuntur, hanc latius extendunt, omnemque sibi aditum occludunt ad Jesu verba recte intelligenda.

Quaenam autem ad ejusmodi auditores loquebatur Sospitator? Quaenam dicebat ad eos, quorum immoderatus rerum terrestrium amor Ipsi innotuerat - qui semper externi Messiani imperii civilisque dominationis spe repleti, hodie sese accingebant ut palam eum Regem crearent (*Joh.* VI: 15), cras autem denuo Eum adibant rogantes, ut potestate Ejus miraculorum faciendorum terrestria vota perficerentur? Hoc inprimis animadvertendum in Jesu oratione, Eum alimentum, quod catervis urgente tempore praebuerat, recte adhibere, ut adduceret eos ad agnoscendum, quantopere spirituali indigerent nutrimento, quod Ipse iis dare posset. Quamquam autem hac in re a multis impugnabatur, non tamen hoc certamen persequi dubitavit, semel ab Ipso electam alimoniae imaginem firmiter servando acuteque explicando. Quodsi quis in oratione reprehendat eam hac imagine sic premenda obscuram esse factam, inprimis quum haberetur ad talem turbam; idque accressere, quum oratio procederet, secum reputet eam imaginem oppo-

sitione mannae atque affirmatione se esse vitae panem, clariorem fieri, praesertim Judaeis cultioribus, qui cum res Israelitarum veteres tenebant, tum allegoriis assueverant. Vehementia caeterum, qua Christus eos alloquebatur validusque impetus, quo exspectationes eorum vanas aggrediebatur, eo tendebant, ut separarentur, qui Dominum vere quaerebant, iique quorum fides exterior nihil erat nisi ἀπιστία. Talia verba faciens multos auditores dure a se dimittere videtur. At ipsa illa dicendi ratio, gravesque ac saepius iteratae allegoriae Judaeis persuadere debebant, orationes illas nullo modo proprie accipi posse, optimosque eorum, quorum animis veritatis amor ac coelestium rerum cupido inhaerebant, excitare ad explicationem eorum quae dicta erant rogandam. - Sic sectatores sibi arctissimis conjunxit vinculis! Sic ad amicorum adversariorumque rationem loquutus est Jesus!

Se ipsum scilicet proponit, ut unicum verum vitae panem; - ac quum iis ostendisset se non esse illum, qui civiles expleret exspectationes, eos hortatur: »Ἐργάζεσθε μὴ τὴν βρῶσιν τὴν ἀπολλυμένην, ἀλλὰ τὴν βρῶσιν τὴν μένουσαν εἰς ζωὴν αἰώνιον (s. 27). Ne nimis indulgeatis, o Judaei! cupiditati rerum, quae aliquando evanescunt, nec umquam a me exspectetis, ut desideria vestra vana expleam!" Sic rursus indicat, quam necesse iis esset, ut a rebus in conspectu positis ad aeternas attollerentur; - sic ab operibus lege constitutis animum avertit, ut gravissimam N. T. audiant conditionem, atque

unicum, quod Deus postulat, opus: τοῦτό ἐστι τὸ ἔργον τοῦ Θεοῦ, ἵνα πιστεύσητε εἰς ὃν ἀπέστειλεν ἐκεῖνος. (sect. 29 coll. sect. 47). Quum autem porro Judaei, patrum suorum mannam in deserto monstrantes Christique mirandam alimoniam respicientes, ut parvum tantum divinae dignitatis testimonium, insignius ab Eo peterent signum, summa Ejus sapientia inde occasionem arripit denuo ad eos de summis coelestis regni bonis loquendi eosque ad fidem incitandi, his verbis usus: οὐ Μωσῆς δέδωκεν ὑμῖν τὸν ἄρτον ἐκ τοῦ οὐρανοῦ, vera autem est manna, quae de coelo descendit, mundoque aliquid dat nobilius ac firmius: vitam nempe aeternam spiritualem.

Sic oratio Jesu ad argumentum, unde profecta erat, redit (s. 32), et in tota rei expositione, sententia primaria non tantum lucidior, firmior ac magis est facta salutaris, at id quoque semper spectavit, ut ad temporis locique, inprimis autem hominum, qui ad perversam suam intelligentiam agnoscendam adduci debebant, rationem justo atque apto modo accommodata esset, et apud omnes desiderium augere studeret rei unice necessariae: nempe ut venirent ad Christum, Eique fidem adhiberent. (1)

---

(1) Praesertim ad. h. l. conferendae sunt animadversiones viri Clar. H. E. Vinke in *Joh.* VI: 22-59. „Hoe meer wij over dit onderwijs van den Heer nadenken," inquit ac quam lubentissime ejus verbis calculum adjicimus, „hoe levendiger wij ons de gezindheid van hen, tot wie Hij hier sprak en de omstandigheden, onder welke Hij tot hen sprak, voor den geest brengen, des te meer gevoelen wij ons gedrongen, om

§ 3.

Jesu Orationes in Templo habitae.

Jesu orationes, in Templo habitae, eodem veritatis nitebantur fundamento, quo reliquae aliis locis pronuntiatae, adaptatae vero erant ad auditorum commoda locique rationem. Quemadmodum enim in musica eadem sonorum modulatio saepe auditur, adjectis autem variationibus rursus nos allicit ipsaque conformatione magis animos nostros movet, - sic Dominus quoque hic denuo de coelorum regno ac vaticiniis in se Ipso impletis verba facit, sed alia via ad fidem et conversionem admonet auditores.

Hic in Templi aula, inprimis diebus festis, populi catervis ibi congregatis, non amplius tectis verbis in institutione sua utebatur, sed diserte ac palam se ipsum Messiam, Dei Filium profitebatur. (1) Hîc erat Patris filius, qui in Patris domo docebat ac dicebat. Hîc praesertim, populi frequentia infestissimisque Ejus inimicis e Scribis ac Pharisaeis ad festa solennia celebranda congregatis, miranda dicendi licentia ad sanctum Patris nomen suamque coelestem legationem tuendam orationes habuit. (2)

Zijne wijze liefde te bewonderen." Et quae sequuntur. *Het Evangelie van Johannes met oph. en toep. aanm.* bl. 442 en 443.

(1) *Joh.* X : 28 seqq.

(2) *Joh.* VII, VIII passim; *Luc.* XX : 21 seqq., alibi.

Orationes a Christo in Templo habitae inde apologeticum magis prae se ferunt colorem. Hîc enim cum oppugnatoribus suis disputavit, eos in angustias adduxit, eorumque dogmata refutavit; hîc imprimis opus ad quod perficiendum missus erat, disertissimis verbis exposuit, non inimicos istos ut sibi conciliaret. quod vix probabile videbatur (1) at caeteros auditores ut conferendis ac considerandis argumentis sibi invicem oppositis ad persuasionem adduceret. Hîc praeterea summo ingenii acumine reprehendere solebat adversarios, falsis criminibus Eum accusantes, aut verba Ejus perverse interpretantes: (2) quod tali modo fecit, ut ea in suae rei commodum converteret. (3)

Explicationibus longis aut demonstrationibus multis verbis elaboratis non utebatur, sed brevitas concinna atque persuadendi facultas orationibus vim addiderunt; - brevia sententiosaque dicta plerumque hic adhibebat. Ut verbo dicam: omnes Jesu orationes in templo habitae notam characteristicam coelestis majestatis prae se ferebant, divinique legati indolem spirabant. (4) Ne autem longiores simus non singulas ad comprobanda quae supra dicta sunt exponemus Domini orationes, in Templo habitas, sed primam atque ultimam referemus easque considerabimus, ut manifesta Ejus ad auditores accommodationis testimonia.

---

(1) *Joh.* X: 26.

(2) *Joh.* VII pasim, - VIII, inprimis sect. 33 et alibi.

(3) *Matth.* XXI: 23 sqq. coll. *Marc.* XI: 27 sqq., *Luc.* XX, *Joh.* VIII: 4 sqq. alibi.

(4) *Joa* II: 14 sqq. coll. *Marc.* XI: 15, *Matth.* XXI: 12 et *Luc.* XIX: 45.

Primo loco animum advertimus ad *Joh.* II : 13-19, ubi Templi purgationem relatam invenimus, - eaque ut a Johanne ac Synopticis memoriae prodita est, potius dicenda est actio, quam oratio. Pauca autem verba a Jesu ibi pronuntiatia disertius mentem produnt, qua Patris in domo versatus, unicae suae cum patre cognationis omnino sibi conscius, maxima hominum salutis cura actus, at simul errores vitiaque vigentia indignatus, animatus erat, quam ut dubitaremus iis aliquam disquisitionis nostrae partem tribuere. Origenes (ad h. l.) quoque et Hieronymus (ad *Matth.* XXI : 15) multum his adscripserunt verbis ponderis. Ac quod supra jam diximus, nonne de hoc etiam loco dici posset, Evangelistas nobiscum nullomodo totam orationem, sed epitomen tantum eorum, quae dixerit, communicasse? Dubitare enim nemo potest, quin Jesus, Patris honoris studio flagrans, hac hora, quum Templi portam introiret, ira excanduerit sacrilegium prope altare perpetratum adspiciens, ac tali animi perturbatione plura locutus fuerit, quam pauca illa verba sectt. 16 et 19 memorata? Nobis saltem ita videtur, et etiamsi conjectura nostra non satis validis nitatur argumentis, pauca tamen illa verba prudenti lectori eam Sospitatoris animi fortitudinem ac magnitudinem aperient, ut summo jure ad eloquentissima referri mereantur, - ad eloquentissima hoc sensu etiam, quod hîc admodum consilio suo convenienter locutus est, quod verbis vehementissimis, quae injustitiae servos pudore afficiunt atque coercent, mandatum suum edicit: ἄρατε ταῦτα

ἐντεῦθεν· μὴ ποιεῖτε τὸν οἶκον τοῦ πατρός μου, οἶκον ἐμπορίου. (s. 16.) Quis est, qui dubitare possit, quin verba illa intrepida omnino temporibus adaptata fuerint ac τοῖς περιστάσεσι, quibus auditor oratorque versabantur? - quin oratio illa actioni suae, quae vim apud fidos atque infideles relinquere debuit efficacissimam, congruens fuerit? - oratio cui nec nummularius nec columbarum venditor, nec Judaeorum nobiles refragari audeant; - oratio, quae filium Patris honoris violatione offensum, Reformatoremque non tantum deceat, sed peccatorum quoque animos moveat.

Ac majorem praeterea Christi venerandi causam in divina Ejus magnitudine cernimus, quum quaestioni ipsi indignationis atque animi infesti ore propositae respondeat effato perquam obscuro: Λύσατε τὸν ναὸν τοῦτον, καὶ ἐν τρισὶν ἡμέραις ἐγερῶ αὐτόν (s. 19). Hoc enim verbum in Templo post Templi purgationem pronuntiatum, facultatem iis praebuit de suis consiliis atque animo erga Eum accuratius secum reputandi. - Sic hoc denuo nobis est documento, quomodo Jesus e singulis rebus, sive ratione habita temporis sive loci causam arriperet Patris honorem tuendi, de coelorum regno verba faciendi suamque legationem manifestandi, - inprimis vero eorum, apud quos concionabatur, requisita spectandi.

Domini autem verba audiamus eodem loco, sed alio tempore pronuntiata. Extremam Jesu ultimae orationis in Templo habitae partem, quae cap. XXIII° *Evang. Matth.* invenitur, accuratius consideremus, quae sane praestantissima est pars illius orationis. - Duobus enim

praecedentibus capitibus, multas offendimus parabolas, de quibus infra in singulari sectione agere constituimus; quum praeterea in hac sermonis parte ad hominum catervas ac discipulos suos Christus verba habuisse videatur; - coeli arcana iis aperiat, ac τὰ „οὐαὶ ὑμῖν" de Scriptoribus ac Pharisaeis dicat, inde copiam nobis sumamus firmandi quae supra diximus.

Pharisaei ac Sadducaei tandem ad silentium sunt redacti, postquam variis quaestionibus Dominum in angustias ducere, atque sic coram populo contumelia Eum afficere studuerunt. - Ad turbam, in templo praesentem, - ad discipulos, quorum fidem firmarat aut amorem sibi conciliarat, - et ad Judaeos, quorum in Christum odium ac praeconcepta de Eo opinio admodum creverant, orationem habet Sospitator. Utrique igitur auditorum generi, qui nobiliorum civium vitia videre nolebant, sermones suos optime accommodavit, quum, ratione habita eorum, quae antea locutus erat, omnes admoneat, ut praeceptis illorum legis interpretum obediant (1) et sic justam auctoritatem venerentur eorum, qui illos Mosis praecepta docebant; - ne

(1) Conff. ad h. l. doct. v. Oosterzee verba, dicentis: „Wat zij daarom voorschreven, men moest het getrouwelijk nakomen, natuurlijk voor zoover het niet streed met de oorspronkelijke Mozaïsche voorschriften: dat toch deze beperking hier in stilte moet bijgevoegd worden, blijkt niet slechts uit menige vroegere verklaring van Jezus, (*Matth.* XV: 3-20, verg. *Joh.* X: 8). maar ook uit dezelfde redevoering, waarin de Heer hunne willekeurige vonden veroordeelt. (*Matth.* XXIII: 16-22)". - *L. v. J.* III. I. p. 86.

autem opera eorum attenderent, quippe quae Mosis doctrinae haudquaquam responderent, ac e simulatione, dominandi cupiditate atque ex inani provenirent superbia. »Quae cohortatio (ad praecepta scilicet sequenda) eo magis necessaria erat, quo magis officii sui esse videbat Jesus èt populum èt discipulos monere, ut fugerent τὰ ἔργα Pharisaeorum, quorum contumaciae et perversitatis testes antea fuerant." (1) Non veram animi sinceritatem, sed gloriam, admirationem, cultum, ostentationem appetebant isti simulatores. Propterea quoque magna orationis vi ad Apostolos sese convertit, eos adhortatur ne in munere gerendo superbia aut vano sui amore a vero abduci se paterentur, nec nomen ῥαββὶ sibi dari sinerent, si forsan a nonnullis iis daretur, quia omnes unum tantum habebant Magistrum, omnesque ἀδελφοὶ erant. - Hoc profecto praeceptum magni discipulis erat momenti, qui mox singuli a Magistro separati Evangelium denuntiarent; magni momenti, inquam, quod èt ipsi nondum prorsus erant liberati omni exspectatione fore ut Dominus extremo tempore terrestre conderet regnum. Hoc praeceptum iis admodum erat necessarium!

In allocutione obliqua ad Pharisaeos Scribasque (2)

(1) Sic Kuinoel, *in Comment ad h. l.*, Edit. IV^ae^ vol I. p. 593.

(2) „Schoon wij het hoogst waarschijnlijk achten," inquit doct. Oosterzee, *L. v. J.* III. I. p. 85, „dat er Phariseën en Schriftgeleerden onder de toehoorders dezer rede geweest zijn, mogen wij niet vergeten, dat zij niet dadelijk tot hen gerigt was. De Heer had reeds met hen gebroken door

nunc se convertit, vocesque illas: „οὐαὶ ὑμῖν!" de iis dicit, quibus misera populi conditio erat tribuenda, quod non tantum se ipsos salutis bonis regni coelorum privarent, sed alios praeterea eorum cupidos verbis factisque ab unica vera ad vitam via avertere conarentur. - Hoc sine dubio magnam habere debebat vim in omnibus qui aderant, qui maximam partem ex infima erant plebe, ex illa hominum classe, quae lubenter ae saepe omnia imitatur, quae ditioribus nobilioribusque sunt propria, - quae vitia quoque eorum sibi vindicat eaque hanc ob caussam veniâ digna considerat, immo palam iis indulget, quia in Sacerdotibus quoque ea observat. - Quam maxime igitur erat necessarium, ut fallaci hac opinione liberarentur, - cui necessitati Dominus satisfecit. Non amplius de se loquitur, at vaticinatur (quasi catervas sic mollire adque misericordiam Apostolorum excitare vellet), quomodo eadem generatio, quae èt priores Dei legatos èt ipsum neglexerat ac vituperarat, etiam discipulos Ejus persequeretur et interficeret. - Huic tandem severae ultimae orationi in Templo habitae finem imposuit Jesus gravi peroratione, reprehensione aut potius querela misericordiae, qua certe auditorum animos movit atque omnes suae legationi ac κηρύγματι benevolos reddidit. Profecto! unumquemque Hierosolymorum, urbis illius pulcherrimae,

---

al het voorafgaande, en heeft voor het tegenwoordige niet hunne teregtbrenging, maar hunne ontmaskering tot hoofddoel zijner rede gesteld."

incolam penitus percutere debuit eumque ad conversionem ac fidem excitare Dominus, quum alta voce sibi sui divini muneris conscius, clamabat: Ἰδοὺ, ἀφίεται ὑμῖν ὁ οἶκος ὑμῶν ἔρημος. Λέγω γὰρ ὑμῖν· Οὐ μή με ἴδητε ἀπ' ἄρτι, ἕως ἂν εἴπητε· Εὐλογημένος ὁ ἐρχόμενος ἐν ὀνόματι Κυρίου. (1)

Num igitur nimium huic orationi pondus tribuisse videremur, si nonnullos ea conversos atque ad fidem adactas esse ponimus? Quis enim credat non commotam fuisse multitudinem, quum nonnulli saltem Pharisaei ac Scribae gravibus Jesu verbis impares iisque convicti, pudore affecti tacitique e Templo discederent, - nullam in ea vim habuisse Christum, quum Judaeos admoneret, ne prava exempla, qualia iis dabant doctores isti, sequerentur, - denique non fuisse Ejus orationem efficacissimam, quum iis depingeret, quam infelices talium agendi rationum essent eventus, cum in praesenti, tum eo tempore, quo ultima vice in terram descenderet, cum hac in vita, tum in aeterna?

Sic non tantum opportunitas, qua ad dicendum usus erat, sed modus etiam, quo eos percellebat, et religionis Christianae placita, quae tam gravi oratione iis exponebat, verbo: tota Ejus oratio ita ad tempora erat accommodata, ut eam in animis habuerit vim necesse sit, qualem omnis orator sacer in Evangelii denunciatione sibi proponere debet.

---

(1) *Matth.* XXIII: 38, 39.

§ 4.

Jesu Orationes ad Discipulos suos habitae.

Pervenimus ad illas Domini Orationes, quas ad fidos suos discipulos habuit et quae ad eos informandos magnopere valuerunt. Non enim eo contentus erat Jesus, quod singula eorum commoda respiceret, quum populum movere studeret, at religionis quoque placita patefacere iis voluit suis Ipsius verbis, quae ubi Ei fidentes acceperunt, postea mundo denuntiarent. Illorum erat N. T. doctrinae indolem, rectius ac firmius perspicere, quam eam noverat infima plebs, ut Ejus ecclesia, id temporis e Judaeis composita, postea ipsa ac libere ageret. Propterea etiam praecepta, promissa, ac sententiae, quas iis nuntiabat, egregie erant accommodatae ad ea, quibus eorum menti opus erat. Quid? quod discipulorum institutio, gradatim procedens, merito documentum divinae Ejus providentiae dici potest. Omnia, de quibus cum iis verba faciebat, hunc habebant finem, ut eos muneris gravissimi admonerent eoque dignos redderent, qui τὸ φῶς τοῦ κόσμου καὶ τὸ ἅλας τῆς γῆς (1) essent; - omnia ad legationem eorum futuram referenda erant; omnia summae eorum destinationi inserviebant. In quotidiana cum Magistro consuetudine sane jam exemplum et scholam sapientiae virtutisque habebant; at in institu-

(1) *Matth.* V: 13, 14.

tione, iis solis accommodata, largiter et abunde ad munus suum praeparabantur.

Jesu sermonum ad Apostolos consilium latius tendebat, quam ut coelorum regnum appropinquasse tantum nuntiaretur, - latius quam ut conversio ac resipiscentia tantum postularentur, - latius quam ut ad fidem summo Patris legato habendam adducerentur, quemadmodum id in Synagogis Temploque aggressus erat. Consilium vero quo ad discipulos loquebatur, singulare etiam habebat momentum pondusque. Iis enim non tantum opus. quod Christus susceperat persequendum, verum ad finem quoque erat perducendum, terra ab Ipso relicta; - illi operarii fieri debebant, qui templum, cujus prima tantum fundamenta a Magistro posita erant, altius extruerent. Ideo Dominus in institutione sua hoc sibi imprimis proposuit, ut Apostoli legatique essent, qui aliquando, quum ad coelum rediisset, Ejus vestigia premerent, salutisque doctrinam Magistri spiritu imbuti denuntiarent.

Haec igitur spectabat Dominus, quum eos suis orationibus docere, instituere, formare aut praeparare vellet. Κηρύγματος materiam huic consilio adaptavit, quo factum, ut semper sic ad discipulos loqueretur, ut, etiamsi eaedem sententiae alibi nuntiatae essent, eaedemque orationes alibi essent habitae, numquam tamen, quamvis auditorum benevolentiam nactae essent, tantam habere potuissent vim. Hoc inprimis Dominus spectabat consilium, quum suos discipulos adhortabatur, ut amicitiae et summae caritatis vinculis arctius Ei se adjungerent, ut postea Eum assi-

duo ardore ac flagranti animi amore tanquam mundi Sospitatorem denuntiarent. Deinde variis e locis (1) manifesto patet Eum, qui persuasum sibi habebat iis accurata doctrinae suae notitia opus esse ut recte ex mente Ejus ac consilio eam traderent, ad hoc propositum quoque suas conformasse orationes. Porro videmus, quomodo Jesus animadvertens quam esset necessarium, ut prorsus iis persuasum esset, se esse Illum, quem Ipse profitebatur, quemque ut promissum diuque exspectatum Messiam nuntiare debebant, omnia huic quoque consilio adaptare sibi proposuerit, ut ea persuasio in iis excitaretur et sustentaretur; - quomodo orationes suas sic instrueret, ut iis informarentur ad κήρυγμα verbi divini, in eoque tali exercerentur ratione, quae iis ut futuris Evangelii ministris summae fuit utilitatis. Praeterea suis adhortationibus eorum vitia, praejudicatas opiniones, errores, exspectationesque civiles saepius impugnabat; et hac in re maxime conspicuum est, quam consilio conveniens esset Jesu κήρυγμα ejusque accommodatio; nam si quando ut Apostoli, tali Magistro digni, verbo atque exemplo alios docere et instituere vellent, necesse erat, ut in iis vitia illa ingenii atque animi, quibus esset periculum ne ὁδηγοὶ τυφλοὶ fierent τυφλῶν, victa essent. Tandem fortitudo atque constantia inprimis iis erant necessariae, ut in munere suo essent firmi, ut cum diligentia ac vi spiritus gladium in Jesu Deique regni honorem educerent, ut calamitatum miseriarum-

(1) *Marc.* IV: 34; *Luc.* X: 23, 24; *Marc.* VII: 17, 18 alibi.

que temporibus perstarent, nec paullulum quidem in certamine de luce ac tenebris retrocederent. Ad haec perficienda verba Domini, ad eos habita, quoque erant accommodata; periculorum enim et calamitatum praeparationem continebant, quae iis, Apostolorum munere rite fungentibus, minarentur, excitationem praeterea rebus bonis lactisque nunciandis, quae eos èt in officio obeundo èt in vita aeterna manerent. - Consilio igitur suo conveniens Dominus talia cum iis communicavit, ut futura non plane ignorarent ac fortiter perstarent in divini Magistri vestigiis premendis.

Haec accuratius probare conabimur, dum duobus exemplis ostendemus, quomodo Jesus hîc quoque dicendi argumentum ad auditores accommodaret.

Primo igitur inspiciamus Jesu ad Apostolos orationem, *Matth.* X: 5-42 literis consignatam, quam in duas dividere possumus partes, quarum prior ipsum continet mandatum, altera (inde a sect. 16ª ad 42am) difficultates enumerat, exspectationes, consolationes, fructus studiaque indicat, quae cum Evangelii denunciatione conjuncta forent. - Profecto! meliorem materiam ad Apostolorum animos capiendos eligere non potuisset Dominus, nec magis ad auditorum commoda adaptate loqui, quam hoc loco, ubi, quum legationem iis committit, simul illius legationis naturam modumque ejus implendae accurate describit. Quibusnam evangelium iis esset nuntiandum, illis dixerat: „εἰς ὁδὸν ἐθνῶν μὴ ἀπέλθητε, καὶ εἰς πόλιν Σαμαρειτῶν

μὴ εἰσέλθητε" (sect. 5); (1) Primo igitur propaganda erat et tradenda religio Christiana uni populo Judaico, jam praeparato ad hanc doctrinam recipiendam. Quid? quod Apostoli id temporis Ejus verba ne intellexissent quidem, si ad omnes gentes laetum nuncium perferre iis mandaverat. Prima igitur vice legatos suos emittens admonuit eos, ut solummodo Judaeis doctrinam divinam traderent.

Porro autem Jesus eos jubet, ut nihil aliud denuncient, quam quod Johannes Baptista Ipseque jam locuti erant, ut sic affectus, quos antea Galilaei experti erant, renovarent, coelorum regnum iterum denunciando. Nec modi, quo legatio perficienda esset, ignaros esse eos sinit disertis verbis eum exponens (sect. 10-15.) Nullum igitur dubium iis esse poterat, quam ad recte munus suum obeundum ingressuri essent viam.

---

(1) Cf. hujus effati explicatio apud v. Oosterzee, *L. v. J.* T. I. P. II p. 469: „Wel beval Hij de twaalve, die Hij uitzond, om hunnen arbeid uitsluitend tot de verlorene schapen van het huis Israëls te bepalen, doch de vergelijking met de reeds genoemde plaatsen (*Matth.* VIII : 11, 12; XXI : 41, XXXVIII : 19) toont duidelijk, dat dit als een voorloopig, geenszins als een onveranderlijk bevel moet aangemerkt worden. Wel moest Petrus later door eene bijzondere openbaring opgewekt worden, om het Evangelie aan een' Heidenschen Cornelius te prediken, maar zijne aarzeling kwam hoogstwaarschijnlijk uit het denkbeeld voort, dat de Heidenen eerst door het Jodendom tot het Christendom moesten komen." Cons. praeterea T. II. P. I. p. 431, ubi cum iis facit, qui Jesum h. l. commorationem Apostolorum in Samaritanorum urbibus ex ipso eorum arbitratu spectare, contendunt.

Hisce autem nondum erat contentus, quod omnibus, quibus iis opus erant, nondum satisfecisset Dominus. Futura enim, quae eos manebant, minime erant jucunda ac laeta; propterea difficultates etiam indicat, quibuscum iis esset pugnandum, - illi, ὡς πρόβατα ἐν μέσῳ λύκων, φρόνιμοι esse debebant ὡς οἱ ὄφεις, καὶ ἀκέραιοι ὡς αἱ περιστεραί (s. 16). Praeterea eos non timere voluit, quum odio dedecorique haberentur, atque in media contumelia injuriaque, quam experturi essent, versarentur; nam praeterquam quod in summae Providentiae divina erant tutela, maximam fidelitatis ac constantiae mercedem post terrestrem vitam in Dei regno exspectare iis licebat. Paucis ut absolvam; longum enim est singula premere verba, ut inde animadverteretur, quam apte Dominus hac in oratione ad auditorum commoda temporaque sese accommodârit, ex iisque praesertim sumserit materiam, - ut nempe instruerentur atque informarentur ad veros Evangelii nuncios. Longum, inquam, est, si de singulis orationis partibus ostendere vellemus, quam accommodate loqueretur Dominus, ubi (sect. 16-42) legatos suos dimittit cum pacis nuntio, difficultates, muneri eorum inhaerentes, nequaquam reticens, - quam scite omnia afferret, quae eos fortes redderent, consolarentur, eorum fidem corroborarent, tandemque gloriosam iis monstrarent victoriae coronam.

Altera oratio, quam ad sententiam nostram firmandam afferre nobis proposuimus, latioris est argumenti, ita ut non nisi partem ejus laudare possimus; nam si ad singula descenderemus, ipsa illa oratio nimis

copiosam praeberet disserendi materiam. Praeterea viri peritissimi ac doctissimi variis modis eam tractarunt, hisque praesertim diebus singularis de ea conscripta est disquisitio. (1)

Habita est nocte proxima, quam cum discipulis Sospitator ante mortem suam transegit; eâque illos eo adducere studet, ut opus inchoatum persequerentur. Inprimis ut eorum fidem confirmet incumbit; necessitudinem, quae Eum inter seque invicem erat, iis patefecit, ut falsae eorum exspectationes delerentur, notionesque de novo regno Messiano emendarentur. Praeterea iis vitae conditionem post mortem beatam ante oculos ponit, tamquam mercedem vitae probe honesteque peractae, auxilium divinum iis in munere gerendo pollicetur, iisque coram Deum precatur, ut promissa sua impleantur ac firmentur.

Inquirere si velimus num illa Sospitatoris effata horae reique accommodata essent, discipulos tantum intueamur responsumque non amplius requiremus. Quam diversis περιστάσεσι Magistrum viderant! Quam frequenter, injuriarum gravissimarum Ipsi illatarum, fuerant testes! Quam saepe simulatori exteriorem pietatis speciem abstulerat, ejusque turpia consilia toti detexerat audientium catervae! Quam frequenter Christum in divina magnitudine mirati erant, quum διῆλθεν εὐεργετῶν; - idemque nunc in omnium ho-

(1) Hoc loco inprimis laudandum opus lectu dignissimum viri doct. van Teutem, *de laatste Nacht des Heeren*. Caeteros vero, qui de eodem egerunt argumento, enumerare longum est.

rum benificiorum mercedem turbae traderetur furori. Num igitur regnum Dei periret, ipsique Apostoli post Jesu mortem sanguinem funderent, ut simul cum eorum nece memorabilis quoque Dei in Christo patefactio interiret? Quonam fundamento eorum fides niteretur, quum Eum cruci affixum vidissent, qui Israëlitas liberatum venerat? - Hae fortasse eorum animos magna vi ceperant dubitationes. Quo magis ideo Magistri mortis tempus appropinquabat, eo magis necessarium erat non tantum, ut sors, quae discipulos manebat, iis aperiretur, sed etiam aptis consolationibus eis ferenda redderetur, - promissis ut firmarentur animique ad res futuras instruerentur. Tota igitur oratio testimonio sit, quam accurate huic necessitati satisfieret. Primo enim: appropinquantem quidem suum abitum Jesus nuntiat, sed ita ut eorum fidem in se quam maxime confirmet. Omnia quae ad eorum consolationem, confirmationem, institutionem valerent, cum iis communicat. (1) Tandem oculos in coelum conjiciens, animum ad Deum attollit, et, Apostolis corona quasi eum cingentibus, praestantissimas eas preces fundit, quibus se Ipsum suumque opus absolutum Deo commendat (*Joh.* XVII: 1-5) et deinde pro Apostolis quoque suis Patrem coelestem invocat

---

(1) De hac Jesu oratione conferantur praesertim duo Cl. Borgeri sermones: Vol. II. Ed. 6ae, inde a p. 162 usque ad finem, in quibus quoque demonstrat, quam apte haec exposuerit Dominus, ne offenderentur nec a vera doctrina aberrarent discipuli; - attendatur e. g. ad p. 168, 169 et 170.

(s. 6-17). Nunc autem latius se extendit, omnium memor est quotquot Ei fidem habituri sunt, orat ac precatur, ut omnes suae gloriae coelestis sint participes. - Sic omnibus antea ab Eo dictis, veritatis sigillum imposuit!

Quam penitus discipulorum animi commoti esse debuerunt, quum Jesum in vitae fine omnia, quae illis dixerat, precibus Patri commendantem audirent! Hoc omnem iis adimere dubitationem, hoc eos in tristi separatione consolari atque excitare necessario debebat. (1) Sed firmam validamque discipulorum fidem in Jesu personam ac divinam naturam evadere perquam erat necesse, quum mox vaticinia Ejus ac promissa de παρακλήτῳ impleta viderent, quum major ad laborandum atque pugnandum in eos vis descenderet.

§ 5.

Jesu orationes ad mixtam auditorum frequentium diversis temporibus habitae.

Quarto loco nobis restat, ut de orationibus ad mixtam auditorum frequentiam, diversis temporibus a Christo habitis dicamus.

---

(1) Cf. Wiessner l. l. p. 82: „In den Abschiedsreden ist eine zärtliche Besorgniss, eine sanfte Offenherzigkeit vorherrschend; bald spricht der gewissenhafte Lehrer mit Ernst und Nachdruck, bald der scheidende Freund mit liebender Wehmuth, gefühlvoll und rührend ist die Sprache und hervorleuchtend der entschlossene Muth, das kindliche Gottvertrauen."

Non tantum in Synagogis aut in Templo aut discipulis suis, verum etiam in via, in coenis, in agris, in littore, in Palaestinae montibus, intra parietes Jesus Evangelium denunciavit. In hoc autem orationum genere praesertim elucet, quam verum sit, quod animadvertimus, Jesum èt temporis èt loci èt auditorum rationem habuisse. (1) Orationes hasce suas semper occasioni ex improviso oblatae, rei quae ante oculos obversabatur, sive verbis, quae in collocutione dicta fuerant, mira quadam arte adjungebat. Inde dicendi argumentum numquam longe multoque labore petitum erat a rebus alienis, sed ultro se obtulit, ansamque ei praebuit vita sive privata sive publica, sive populi historia, - omnia, ut verbo dicam, quae salutarem disserendi facultatem dare poterant, in usum suum convertit Magister, ut de salutis placitis loqueretur.

Satorem conspexit, et regnum coelorum confert cum viro, qui semen in terram serit; - piscatorem vidit, et Dei regnum comparat cum sagena, quae in mare conjicitur. Mensae accubuit et regnum Messianum magno convivio aequiparat; - puerum intuebatur, auditoresque admonet, eos, nisi pueris similes fierent, non ingressuros esse regnum coeleste. Interrogatur, quoties fratri ignoscendum sit, qui

---

(1) „Seine Vorträge waren gelegentlich (*Joh.* IV : 32 sqq.); durch ein Factum, eine Naturbeobachtung, eine Aeusserung Anderer (*Matth.* VIII : 10) veranlasst," Wiessner, *Gesch. der Christl.-kirchl. Bereds.* Tom. I. p. 75.

contra nos peccavit, καὶ ὡμοιοῦται ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν ἀνθρώπῳ βασιλεῖ, clementi ac miti erga debitores suos. Ficum adspicit, fructus non ferentem, ex eoque occasionem arripit auditores hortandi omnes sic perituros esse, quorum fides ex operibus non esset conspicua. Ita a rebus ante oculos versantibus ad argumentum transiit morale; ita terrestria cum coelestibus, naturae cum gratiae regno conjunxit; - nonnisi raro fiebat, talem ut orationem ad auditores haberet, nulla data occasione, nulla posita quaestione, quibus ad eam adducebatur.

Ex innumeris exemplis, quae nobis praesto sunt, duo tantum afferre nobis proposuimus. (1) - Ex iis pateat quam aperte orationem suam ad occasionem, tempus auditoresque accommodaret, - quam a rebus minutissimis ad sublimiores, a fluxis caducisque ad perpetuas sese attolleret. - Quin in ipsum Jesum conjiciamus oculos, quum in vico Sichar, in regione Samaritana sito, prope fontem consideret, eoque mulier aquam haustum veniret. (2) Potum quo sitim satiaret ab ea rogat. Haec autem (sibi conscia quemcunque Judaeum se impurum fore arbitrari, aliquid si a Samaritanis accepisset) mirata est Eum, Judaeus quum esset, tamen tale quid ab ea petere, Colloquio igitur hac de re exorto, in oratione pergit Jesus; ac quum primo admirationem mulieris

(1) Plura laudata sunt exempla ab Isaäco de Waal in comm: *Over Jezus diepe wijsheid en menschenkennis.* p. 26 sqq.

(2) *Joh.* IV : 6 sqq.

movisset, mox gravibus suis verbis animum ejus perculsit, maximumque ei aquae illius aeternae, cujus mentionem fecerat, desiderium fecit. Nonne, haec si legimus, summam Christi sapientiam miramur, - nonne, si modum, quo mulieris ingenium ad res, ipsi inprimis necessarias adducitur, attendimus, maxima quod tam accurate humanam naturam noverat, reverentia Ejus tenemur. Ipsam adeo occultam mulieris vitam, illi patefecit, illamque eo adduxit, ut sponte profiteretur Eum revera esse Prophetam, esse Christum. Vix ac ne vix quidem de inimicitia Judaeos inter et Samaritanos loquuta erat, quum verum illi Dei cultum commendaret, gravissimis hisce verbis: *γύναι, πίστευσόν μοι ὅτι ἔρχεται ὥρα, ὅτε οὔτε ἐν τῷ ὄρει τούτῳ, οὔτε ἐν Ἱεροσολύμοις προσκυνήσετε τῷ πατρί.* (s. 21). (1)

Unum praeterea afferamus exemplum e *Matth.* XXII: 35-40 ductum. Legisperitus (*νομικὸς*) e secta Pharisaeorum aliquando ad Jesum venit, Eumque his verbis allocutus est: *Διδάσκαλε, ποία ἐντολὴ μεγάλη ἐν τῷ νόμῳ*; Judaeorum theologos enim legis praecepta in gravia ac levia dividere hoc loco bene tenendum, magnamque inter eos esse dissensionem, quaenam ad graviora praecepta (vel circumcisionis ritus, vel sacrificiorum institutio, vel aliud quid), quaenam ad leviora essent referenda, - quodque omnium maximum ac gravissimum esset. Captiosa hac

(1) Hunc sermonem nobis depinxit et egregie exposuit vir. doct. v. Oosterzee: *L. v. J.* T. II. P. I. p. 90 sqq.

quaestione Dominum ad angustias redigere tentabant. Jesus autem inquisitioni tali vanae atque inani, dissidiis illis, quae tantum ad animos magis magisque abalienandos spectabant, respondere noluit; sed occasione nihilominus usus est, ut praeceptum caritatis fraternae atque concordiae iis palam traderet, - perutile, praesertim quum non legum sensum, sed ipsam literam premendo, admodum jam sibi invicem infesti essent Judaei. Magna cum sapientia igitur quaestionem illam in auditorum commodum convertit, causamque ex ea sibi sumit, ut divinae legis veram indolem, quam inprimis omnes observare debebant, dilucide iis proponeret. Argumentum hujus legis divinae gravissimum ad duo haec praecepta reducit: *Ἀγαπήσεις Κύριον τὸν Θεόν σου ἐν ὅλῃ τῇ καρδίᾳ σου· Καὶ ἐν ὅλῃ τῇ ψυχῇ σου, καὶ ἐν ὅλῃ τῇ διανοίᾳ σου· Αὕτη ἐστὶ πρώτη καὶ μεγάλη ἐντολή· Δευτέρα δὲ ὁμοία αὐτῇ· Ἀγαπήσεις τὸν πλησίον σου ὡς σεαυτόν.* Hujus monitus memores esse eos inprimis oportebat, si revera quae lege atque a prophetis praescripta erant sequi vellent. Sic egregie iis respondit Jesus, quum non tantum omnem legem, tam praecepta graviora quam leviora, ad mutuae caritatis mandatum spectare eos doceret, sed et Pharisaeorum enervaret errorem, quo praecepta religionis dividerentur, atque alia aliis magis venia digna censerentur.

Plurima adhuc afferre possemus documenta ad sententiam nostram probandam: *Luc.* XII: 13 sqq.; *Luc.* XIII: 1-10; *Luc.* XIV: 7; *Joh.* VI: 24 sqq.; *Luc.* XVII: 12 sqq.; *Joh.* VII: 25-29 aliaque, at

sufficiant, quae jam diximus, ut jure contendamus Jesum omni occasione aptissime fuisse usum, semperque ea impertiisse suis auditoribus, quae maxime iis ac περιστάσεσιν accommodata essent. (1)

---

(1) Cf. Winer (*Bibl. Realwörterbuch* in voce Jesus, p. 570, edit. 3ae) cujus sententiae calculum adjicimus, dicentis: „Alle Vorträge Jesu, die bald in den Synagogen (*Matth.* XIII: 54, *Luc.* IV: 44) bald auf öffentlichen Plätzen und auf freiem Felde, bald in dem Tempelvorhofe gehalten wurden, waren gelegentlich (*Joh.* IV: 34 sqq.; VII: 37 sqq.) durch ein Factum, eine Naturbeobachtung, eine Nachricht (*Luc.* XIII: 1 sqq.) durch Aeusserungen Anderer (*Matth.* VIII: 10) veranlasst."

SECTIO POSTERIOR.

QUATENUS HAC IN RE JESU CHRISTI EXEMPLUM ORATORI SACRO SIT IMITANDUM.

> Hîc (in accommodatione) ipsum Jesum habet exemplum, qui aliter ad Pharisaeos, aliter ad populum, aliter ad Apostolos suos dicebat, et ex tempore rebusque saepius opportunitatem dicendi capiebat.
>
> v. Oordt.

Hisce igitur de ratione, qua Dominus orationum argumentum eligere atque conformare solebat, expositis, praetermissis quoque multis, quae timentes ne longiores fieremus, non attulimus, hoc nobis ponendi videmur adepti esse jus, eum optimum esse Christi discipulum, qui summa diligentia Christum hac quoque in re imitetur. Hoc enim ei incumbit munus, ut orationem suam iis qui ipsius curae commissi sunt, temporisque opportunitatibus accommodet. Caveat igitur sibi, ne laudum gratia, vel hominibus inserviendi causa, aliam sequatur viam, atque ei monstravit Magister (1), nam unusquisque

(1) Cf. ad h. l. Oratio s. inauguralis. viri. ven. v. Oosterzee, in ejus sermonn. vol. I p. 26.

sacrorum Antistes nunc quoque sit *πιστὸς οἰκονόμος καὶ Φρόνιμος, ὃν καταστήσει ὁ κύριος ἐπὶ τῆς θεραπείας αὐτοῦ, τοῦ διδόναι ἐν καιρῷ τὸ σιτομέτριον.* (1)

Normam doctrinae moralis idcirco violare magnumque, quo tendit, finem negligere si nolit, Christi exemplum suamque conscientiam consulat, - tum demum hanc semper sibi proponet quaestionem: »Quaenam dicturus sum auditoribus meis, qua de re in coetus mihi commissi usum et salutem, in Christi Patrisque coelestis honorem locuturus sum." (2) Nova religionis placita denunciare nec potest, nec ei licet, - ipsis autem adaptandis conformandisque ad temporis locorumque opportunitatem, adque auditorum conditionem ejus *κήρυγμα* non tantum novum manebit magnique momenti, sed omnes auditores oratorem sacrum benevolo animo audient exhortationibusque ejus lubenter obtemperabunt.

Sin vero nihil fit, nisi quod sexcenties dicta et trita repetantur, si omnia in universum dicuntur, nihil ad certas classes, conditiones, aetates transfertur, nihil legitimis circumscribitur finibus, parum vel nihil inde ad alios redundet commodi necesse est. Praecipuas religionis sententias, quamvis omnibus omnique aetate semper sint eaedem, tamen ad temporis rationem adaptandae, aut cum aliis conferendae, aut sibi invicem opponendae, aut alio modo sunt expli-

(1) *Luc.* XII: 42.

(2) Praecipuas causas, quae Oratorem s. impediunt, quominus auditoribus accommodate loquatur, enumerat Theremin, *Ber. e. Tug.* p. 160-165. Omnino digna sunt, quae legantur.

candae, quod alios mores aliasque notiones, aliam institutionem cultumque, denique prorsus diversum ingenium mentemque habemus ac Jesu auditores. (1)

Sacrorum vero Antistiti haud erit difficile Sospitatorem hac in re imitari, modo Christi mentem indolemque bene cognitam habeat. In nostra enim patria, in sede nostra, in unoquoque coetu, singulorumque sociorum vita tot tantaeque accidunt res, quae omnium animos movent, inque omnium ore versantur; - res, in quibus unice est conspicua Dei providentia atque imperium: tempora calamitosa (e. g. bellorum, sive morborum perniciosorum) quae praesertim

(1) Ad haec rite est animadvertendum quod Theremin: l.l. p. 136, ejusmodi accommodationem „*ein ethisches Gesetz.*" censendam judicet suamque sententiam ita exponat: „es ist keine Klugheitsregel, es ist ein ethisches Gesetz, dass unser Wirken auf Andere, den Umständen unter denen es unternommen wird, angemessen seyn soll. Diese Umstände sind nichts anders als unsre Verhältnisse, welche wiederum nur durch die Persönlichkeit der Menschen und durch alles, was wir mit in dieselbe hereinziehen, bestimmt werden. Nun fordert aber ein Jeder, dass seine Persönlichkeit respektirt werde, und wenn er auch anerkennt, dass sie Veränderungen erleiden könne und müsse, so verlangt er doch, dass sie nicht in Unterdrückung, sondern in Veredlung und Ausbildung des Vorhandenen bestehen. Da dies eine Forderung ist, die eine Jeglicher macht, und da es ein sittliches Gesetz ist, unsre Ansprüche mit denen der Andern so zu vermitteln, dass sie nebeneinander bestehn können, so legt uns dasselbe Gesetz auch die Verbindlichkeit auf, ihre Persönlichkeit zu respektiren, d. h. uns in unsrer Handlungsweise nach den Verhältnissen und Umständen zu bequemen." et quae sequuntur.

ad exhortandum monendumque accommodata sunt. Quibus rebus ac temporibus, fatis factisque orator sacer uti potest, imo debet, ut praecepta officiaque iis adaptata commendare possit. Atque hac quoque in re praestantissimum ei est exemplum Jesus Christus, qui omni fortuito oblatae opportunitati apte utilia graviaque praecepta annectere solebat. (1) Quicunque igitur ad Jesu exemplum materiem orationis a temporum adjunctis, in quibus ipse auditoresque versantur, mutuatur, persuasum sibi habeat, semen, pars licet circa viam decidat atque proculcetur spinisve suffocetur, apud multos tamen in bonam terram seminatum iri. Hic enim de iis loquetur rebus, quibus ipsius animus atque auditorum eo tempore affectus est, quo fit, ut orationis argumento capti lubentius animum attendant auditores, praeceptaque ex iis sumta in animis firmius imprimant eorumque in posterum quoque sint memores. (2)

---

(1) *Matth.* XI: 7-19, XII: 1-8; *Luc.* XIII: 1-10; *Joh.* VI: 24 sqq.

(2) Summo igitur jure dicit Thereminus: „Wie stark aber der Eindruck sey, der durch das weise Benutzen der beim Zuhörer schon vorhandenen Empfindungen hervorgebracht werden kann, das zeigt sich bei Gelegenheitsreden. Spricht ein Prediger bei Eröffnung eines Feldzuges, bei einem Sieges- oder Freudenfeste, so kann er hier mit grösserer Sicherheit als bei den gewöhnlichen Vorträgen, wo die Verhältnisse nicht so bestimmt gegeben sind, gewisse herrschende Ansichten und Meinungen, gewisse Hoffnungen und Befürchtungen, gewisse Gefühle der Freude, der Dankbarkeit, beim Zuhörer voraussetzen; und wenn er nur mit einiger Weisheit alle diese verschiedenen

Etenim experientia edocti sumus, sententiam nulla temporis nec loci ratione habita denuntiatam, multo minorem habere vim, nec auditorum animos tam movere, quam praeceptum a facto quodam in ore adhuc omnium versante petitum. Haud sane erit negandum, quam sit difficile apto atque utili modo tali uti opportunitate, - magnamque saepe prudentiam ac sapientiam requiri, ad dijudicandum, utrum directe ad eam sit referendum an oblique paucisque tantum verbis de ea dicendum, - at magnum quoque laboris est praemium multamque saepe orator sacer causam habet gaudendi, quod tanta opera officio suo functus sit. Et hac quoque in re maxime nobis prodest Jesu exemplum; quippe quod Evangelii ministrum doceat, non omne argumentum idoneum esse, quod in suggestu sacro tractetur, - eique in materia eligenda summam adhibendam esse prudentiam. Nullis enim egit de rebus, quae suo munere ac κηρύγματι essent indignae, - omnes, quibusvis ab opportunitatibus petitae, orationes ut verborum gravitate auditores ad aeternam salutem attollerent, eorum animos emendarent, cogitationesque ad rem

---

Strahlen in den Brennpunkt seiner Idee zusammenzuleiten weiss, so wird er diese zu einem sehr hohen Grad des Affektes erheben können. Hieraus erklärt es sich auch, weshalb die Wirkung der Festpredigten immer grösser ist, als die der gewöhnlichen sonntäglichen Reden. Zu den ersteren bringt nämlich der Zuhörer, so verbildet er auch seyn mag, doch immer noch religiöse Gesinnungen mit, an die sich der Redner sehr leicht anschliessen kann" *Bereds. e. Tugend.* p. 155, sqq.

unice necessariam adducerent curavit. Sic quoque Christi legato inprimis cavendum est, ne, quod omnia in suggestu sacro exponat argumenta, reprehendatur, eoque potius tendat, hanc ut laudem adipiscatur: »ecclesiae coetusque salutem ei cordi esse." (1)

Propterea igitur animum attendat ad conditionem religiosam ac moralem, privatam publicamque singulorum ecclesiae suae sociorum, orationesque suas semper ad eorum etiam conformet commoda. - Sospitatorem nobis hujus rei egregium quoque reliquisse exemplum satis superque, ut mihi videtur, jam probatum est. Ad parvos enim humilesque ubi verba facit, πτωχοὶ εὐαγγελίζονται· Miraculorum cupiditate ubi tenentur Judaei, Jesuque magnitudinem ex omnibus Ejus operibus manifestam parvi faciunt, intrepide illum errorem aggreditur ac tollere conatur. Multos, qui dubitatione atque ἀπιστίᾳ a vera religionis via aberrare periclitantur, gravium inde provenientium admonet malorum. At quid plura dicam! In animum modo inducantur quae supra in quatuor illis Jesu orationum generibus considerandis scripsimus, e quibus luce clarius patet, ea hac praesertim re a se invicem distingui, quod èt personae, ad quas habebantur orationes èt res quibus singulae illae personae indigebant, erant diversae.

---

(1) Quod qui pulcherrime expositum cupit, conferat quaeso quae hac de re monuit clar. H. Bouman: *Memoria Clarissii* p. 310 sq.

Praeceptum profecto gravissimum oratori sacro! Ad imitandum autem perdifficile! In talibus enim eligendis argumentis, conditioni tam exteriori quam morali ac religiosae adaptatis, intimos auditorum animos perspectos habeat oportet. (1) Praeterea innumeras illius privatae publicaeque, moralis ac religiosae conditionis penitus cognoverit rationes necesse est: hominis nempe opiniones sententiasque, notionem, quam sibi de felicitate deque perfectione morali ac religiosa formavit, virtutes vitiaque ejus, cupiditates animique affectus, errores ac praejudicatas opiniones. Porro cognoscere studeat, quomodo haec omnia oriantur, corroborentur, verae scientiae virtutique obstent, atque perniciosa sint, quî augeatur et frangatur cupiditatum vis. Indagare conetur, quales in eorum animis reperiantur errores, quod attinet ad universam virtutem ac vitiositatem utriusque singularia genera, qua ratione vera in iis excitanda sit virtus, quam varii in eorum existimatione sint gradus modique, quomodo una ex altera proveniat virtus, quibus rebus religio ab eorum vita avocetur cumque ea conjungatur, quantam res minimae in eorum animum interdum habeant vim. His observandis, orator sacer haud dubie per omne vitae tempus magno cum auditorum dicet emolumento, multos emendabit, atque animos depressos excitabit. De iis enim aget ar-

---

(1) Haec omnia copiosius atque egregie exponuntur a Theremino: *Ber. e. Tug.* p. 139 sqq., cujus verba, quum plura sint quam quae citentur, ipsi eum adeant lectores.

gumentis, quae indoli vitaeque humanae accommodata sunt. (1)

Haec igitur si diligenter pro viribus perscrutatus erit, in materia eligenda, nullo nempe si adstrictus est argumento, eam sibi sumere potest debetque, quae ipsi ad virtutes in coetu suo christianas augendas, adque vitae rationem bene instituendam maxime videatur idonea, - eique verba e scriptura sacra hausta adaptabit, e quibus leniter ac gradatim procedat oratio. Argumento autem quodam adstrictus orationem suam ita instituere suscipiat, ut temporibus auditoribusque maxime sit salutaris atque utilis. Sic omnes ejus sermones eum animorum commovendorum excitandorumque habebunt impetum, quo cum ad tempus, tum ad locum auditoresque inprimis erunt accommodati. (2)

Dicendi gravitatem atque licentiam cum sapientia ac prudentia oratori sacro esse conjun-

---

(1) Conferri hac de re merentur: Spalding, l. l. p. 224-231, praeterea Andres: *von der Welt- und Menschenkenntniss des Predigers*, Wirzb. 1788. *De zeedemeester der kerkelijken* caett. 2 voll. passim. — *De vi, qua res parvae afficiunt animum*, scripsit Reinhard, cujus egregii libelli Belg. prodiit versio, Amstel. 1799, h. t. *Over de waerde der kleinigheden in de Zedenkunde*, commend. ab Ew. Kist. Quomodo alia virtus per aliam adjuvetur, interdum etiam impediatur, causasque mutuae virtutum conjunctionis et disjunctionis explicavit Garve in den *philosophischen Abhandlungen zu Cicero's Buchern von den Pflichten*, Vol. II p. 115-134.

(2) E quibus rebus argumenta dicendi orator sacer ducere possit ostendit Marezoll, l. l. p. 44 sqq. Egregia praeterea monita tradidit W. Broes, *Tekstenrol* in Appendice, inprimis p. 93 sqq.

gendam, quotiescunque erroribus opinionibusque praejudicatis, quas in auditoribus detexit, resistere velit, easque nec vehementia nec impetu impugnandas sed leniter esse enervandas Jesu exemplo edocti sumus. Dominus sane vitia errataque sua aetate vigentia intrepide aggredi solebat. Evangelii nuncius, hoc nomine vere dignus, ideo suo fungatur officio graviter contra peccati corruptionem monendo aperteque malum impugnando; nequaquam autem erroris servos, fratres ac socios suos in Christo Jesu, superbe damnet. Vitia modo nudis exponantur verbis malaque ex iis fluentia diserte ostendantur.

Propterea etiam oppositas laudare atque commendare virtutes haud sufficit! Christus enim nunquam dogmaticam de virtute ac pietate doctrinam, universe dictam, docuit; apud Eum nullas invenimus exhortationes admonitionesque, quae non maximam in auditorum animis habuerint vim, inque iis corrigendis non fuerint efficacissimae. Evolvamus e. g. caput XXIII^{um} Evangelii Matthaei. Vel obiter tantum orationem montanam inspiciamus, nonne obstupescimus summaque capimur Ejus admiratione, qui ad res parvas descendit, intimosque hominum animos cogitationesque detegit, atque in occultissimas cordis humani latebras penetrat? (1)

(1) Quod qui magis expositum cupit, legat quaeso quae hac de re scripsit Wiessner, l. l. p. 74: „Um dieses zu vermögen, bedurfte es besonders auch einer tiefern Menschenkenntniss, welche sich in Jesu Lehrvorträgen überall kund gibt.

Oratori sane sacro, non sicut Magistro suo excelso datum est ut omnia, quae in hominis mente versantur, sciat; eo autem magis omnibus nitatur viribus, aliquam saltem ut animi humani acquirat notitiam, qua, ut supra vidimus, nullo modo carere potest. Ea vero instructus interiorem atque exteriorem fratrum suorum vitam sibi quodammodo perspectam habere potest, auxilia iis praebere, quibus virtus facilius colatur, rationesque afferre, quibus voluntas flectatur, atque homo omni vi ad bonum impellatur. Sine hac humanae indolis notitia in tale periculum incidit, qualis modo mentionem fecimus, nempe: ut institutionem tradat mere theoreticam, quae nec ad vitam nec ad auditorum vivendi rationem accommodari possit.. (1)

Schon frühzeitig regte sich ein eifriger Forschungsgeist, der ihn aufmerksam bei Allem verweilen liess, was auf Menschenbestimmung und göttliche Führung Bezug hatte. Leicht musste er den Betrug, die Heuchelei, die falsche, selbstsüchtige Leitung der Priester seines Volkes erkennen, und mit dem innigen Abscheu eines edlen Herzens hassen lernen," et quae sequuntur p. 75.

(1) Praeclare Thereminus *Ber. e. Tug.* p. 70. „Er muss," inquit „den Menschen überhaupt und den gesellschaftlichen Zustand genau genug kennen, um in alle Verhältnisse einzugehn, und zu zeigen, wie höchst angemessen ihnen dasjenige sey, wozu er auffordert. So werden die hohen religiösen Ideen aus ihrer Allgemeinheit hervorgerufen, und in die bestimmten Formen des menschlichen Lebens wie eingefangen; nichts ist ergreifender für den Zuhörer, nichts giebt seinen Ideen ein regeres Leben, als die ausgebildete Gestalt, worin sie ihm erscheinen." Inprimis attendantur quae hisce adjungit verbis: „Aber freilich

Ad finem hujus disquisitionis nostrae partis quum pervenimus, postremum in Dominum conjicimus oculos, quem etiam ut exemplum in eo, quod ad οἰκονομίαν pertinet, proposuimus, statimque nobis ex oratione montana patet, Eum in certo quodam auditorum genere, hos quoque a se invicem distinguere; quod profecto egregium est praeceptum atque perutile Evangelii ministro. Hic enim in oratione habenda semper recordetur necesse est, se ad homines natura ac moribus a se invicem diversos loqui, - sibi esse auditores Dei virtutisque amantes, aut viam salutis aliquamdiu ingressos aut jam in ea provectos, - auditores autem quoque, qui a vera ad salutem via aberrarunt, aut qui arbitrantur se in tenebris posse obambulare et tamen in luminis sedem esse perventuros. Nunquam obliviscatur orator sacer se habere pauperes humilesque, se etiam Evangelium denuntiare hominibus honoribus divitiisque praeditis, sibi in coetu suo esse calamitatibus oppressos, corde contritos, doctos indoctosque, (1)

---

gehört von Seiten des Redners ein gewaltiger Wille dazu, um eben den Geist, der sich bis zu den höchsten Gegenständen der Betrachtung emporschwang, plötzlich bis zum kleinsten Detail des menschlichen Lebens hinunter zu zwingen, ohne dass er dadurch an Feuer und Spankraft verliere." Praesertim ubi animadvertit: „Das vermögen Wenige, und da es bequemer ist, so hält man es auch oft für angemessener, sich in gestaltlosen Ideen umherzudrehn."

(1) Cf. omnino clar. H. Bouman, qui, quum narrasset Clarissium excultos auditores, quos habebat, eosque academicos semper spectâsse. - „Nec vero" inquit „rudiorum atque incultiorum hominum vera commoda atque institutionem ab ipso neglectam esse

fidos infidosque, singulosque eos in templum convenisse, ut e vitae aeternae fonte hauriant, ex Evangelio, quod omnibus affert solatium, animosque erigit depressos. Sacrorum Antistes nunquam obliviscatur omni conditioni, omnibusque hominibus sua esse officia suaque vitia, mores atque usus, suos ad bonum, suos ad malum stimulos, suos denique errores opinionesque praejudicatas.

»Hisce igitur omnibus se accommodet Orator sacer, diversae hujus conditionis rationem habeat, ut eorum animis se insinuet; detegat quae habent uniuscujusque praecordia intus, atque ita non tantum sermonem intelligant omnes, sed et conscientiâ ipsi suâ agnoscant ad se verba fieri, suam non aliorum rem agi." (1)

---

quispiam opinetur velim. Quorum ingenia si forte difficiliorum quorundam s. s. locorum explicationem, aut hujus illiusve abstrusioris enuntiati demonstrationem non plane comprehendere potuerant; nonne utramque ratâ fere lege tertia dicendorum pars excipiebat, quae, magnâ curâ ac religione et vero perspicuitate, summis quibusque et infimis auditoribus pariter prodesse conaretur? Atque ultima haec, quae ipse, ut modo vidimus, omnium gravissima reputabat, et his et illis eo clariora erant, et horum et illorum mentes eo acrius pellere debebant ac commovere, quo constantius pleraque monita et praecepta et consolationes ex Dei, qui nos in Christo prior dilexerit, infinito amore repetere consueverat, atque ad fidem Christo, pro nobis mortuo, habendam omnia referre." *Memoria Clarissii*, p. 309.

(1) Verba clar. v. Oordt, Or. l. p. 11. Praeterea adeatur Marezoll, l. l. p. 96-139, qui rem copiosius accuratiusque tractavit, quam ut denuo de ea agamus; inprimis igitur lecto-

rem, qui haec diligentius perscrutari velit, ad eum referimus. Vid. tandem quoque Heringa, *Kerk. Rdvr. en Rdg.* III. II. p. 84-87. Ne autem ad doctrinam deducamur Coccejanam, legenda sunt, quae hac de re monuit Broes, l. l. in Append. p. 102, 103.

Caeterum verbo monere nobis liceat doct. v. Oosterzee animadversionem ad *Matth.* X: 5-15: cum Apostolis, primae Evangelii denunciationis tempore, tum cujuscunque aetatis oratori sacro e Jesu mandato hoc sapientiae praeceptum esse ducendum, ut initio praesertim ad eos se vertat, qui maxime ad illam salutis denunciationem capiendam idonei sunt. *L. v. J.* Vol. II. P. I. p. 431.

PARS TERTIA.

DE JESU CHRISTI ELOQUENTIA, ORATORI S. IMITANDA, FORMAE, QUA EJUS ORATIONES SUNT INDUTAE, RATIONE HABITA.

Hij sprak aangename woorden, woorden vol liefelijkheid en bevalligheid tevens. Voorzeker wilde de Evangelist ons niet alleen op den uitlokkenden inhoud, maar ook op den edelen vorm van Jezus' prediking wijzen.

v. Oosterzee.

De volle, geheele waarheid in schoonen vorm te prediken, moet het ideaal zijn, naar welks bereiking de Evangeliedienaar met alle inspanning van krachten jaagt. Hij moet gouden appelen aanbieden op zilveren schalen.

Voorhoeve.

PRAEMONENDA.

DE VINCULO, QUOD DISPOSITIONEM INTER ET DICTIONEM INTERCEDIT.

> Denken is spreken met zich-zelf; spreken is overluid denken. 't Is daarom onmogelijk den stijl van de gedachte af te scheiden.
> Abm. des Amorie van der Hoeven.

> Der sprachliche Ausdruck kommt nicht von Aussen erst an die Gedanken heran, sie sind selbst ein inneres Sprechen, und die Sprache ein äusserlich werdendes Denken. Wie die Gedanken, so wird der sprachliche Ausdruck nach und nach fertig und vollendet; er bildet sich und wächst mit der Predigt selbst, latitirt schon in den Dispositionen und schreitet wie diese vom Allgemeinen zum lebendig Einzelnen fort.
> Alex. Schweizer.

Hucusque de materia tantum exposuimus; jam de externa Jesu orationum forma est agendum. Dispositionem atque dictionem oratione complectimur et con-

jungimus. Priusquam vero progrediamur, èt ratio reddenda esse videtur viae, quam ingredimur, èt causa afferenda, cur quae alii ante nos separatim tractarunt copulaverimus et conjunxerimus. Explicandum enim quam ob causam abhorreamus a divisione, quam veteres receperunt et tot tantique viri probaverunt et sequuti sunt. Quod ut faciamus tantum dicemus, dispositionem et dictionem propter arctum atque indissolubile vinculum, quod rationem inter et orationem humanam intercedit, ita ut altera missa altera neque valere possit neque excoli, in disquisitione instituta separari non posse. Oratio enim mentis est imago, qua manifesto apparent animi cogitationes, atque affectus. (1)

Haec nostra dicta fortasse accuratius et fusius sunt exponenda, quare rem ope duarum imaginum illustrabimus, quae, quamvis veritati inferiores, mentem tamen nostram luce clarius, ut speramus, ostendent.

Si magna est convenientia inter corporis figuram

(1) Cff. Blairius: *Lessen over de Redek. en Fr. Lett.* P. I. L. XI. p. 212 sqq., atque annot. Lulofsii ad h. l. — Abm. des Amorie v. d. Hoeven: oratio de Buffonis dicto: *le stile c'est l'homme*, Orationum p. 243; v. Huffel: *Protest. Leeraarsambt*, T. I. S. 3. c. l. p. 493 sqq.; - Alex. Schweizer, *Homiletik*, p. 377 sqq.; - van der Palm, *Salomo*, T. IV. p. 348 et inprimis quae dixit Thereminus in opere *Demosthenes en Massillon*, belgice verso a Schade, p. 111: „Naar mijn gevoelen dienen de woorden niet als een toegift der denkbeelden of als een sieraad, waarvan men ze kan ontdoen, maar als een vorm, die er bij behoort, en die zij, zoodra zij zich vertoonen, noodzakelijk moeten aannemen."

alicujus hominis ejusdemque vestitum, adeo ut hic plane convenire debeat cum illius forma et motibus, si quidem vestis ad corpus apte convenit; - si arctissimum intercedit vinculum inter fabulam dramaticam atque histrionem, cui alicujus mores referendi sunt, ut non tantum ipsius poëtae cogitata atque sensa animo suo concipere debeat, sed etiam personam, qualis a poëta ficta est, vel in minimis lineamentis exprimere atque amplecti, si quidem veri actoris nomine dignus erit, - tum etiam omni dubio majus est, si nempe, ut diximus, stilus mentis imago est, summam esse oportere congruentiam cogitationis cum compositione vel modo, quo manifesto appareant vel verbis exprimantur haecce cogitata.

Pro vario ipsius rei momento, pro majore vel minore argumenti gravitate, (quae gravitas in cogitationum natura atque ordine cernitur) stilus ipse vel grandior vel submissior esse debet. Ut ipsae cogitationes, ita etiam modus, quo cum audientibus vel legentibus communicantur, sua sponte magis magisque se explicare debet atque absolvere; una cum ipsa oratione formatur, et crescit; una cum dispositione cogitatorum se extendit iisque ductus a magis generalibus rudibusque lineamentis ad minutissimas partes atque idearum varietates procedit.

Eadem est ratio dispositionem inter et dictionem atque inter cursum fluminis ejusque superficiem, - quâ comparatione Quinctilianus (1) aliique post

(1) In *Institt. Orator. libris*, L. XII. c. 10 § 60.

eum usi sunt, ad varias stili formas adumbrandas, quaeque hoc loco usurpatur ad meam sententiam exponendam ac clarius indicandam. Interdum enim amnis aequabili celeritate aquas demittit per fertilia et amoena prata; tum ejus superficies notatur aequabili et sedato cursu. Alio loco similis est torrenti, qui saxa devolvit, moles et pontes indignatur, sibique alveum et ripas facit; tum ejus superficies notatur vehementi agitatione, inaequalibus, validis, rapidis fluctibus. Alio denique loco est lucidus, amplus, placidus amnis, virentibus utrinque silvis inumbratus; et ejus superficies se explicat prouti ipse amnis, non immani vi, sed sedate una cum ipso fluvio, ambitus suos quasi gravi quodam incessu per agros sinuans. Si igitur vinculum inter fluvium ejusque superficiem tam arctum et indissolubile est, ut ex hac interna ejus agitatio atque vis cognoscatur, haud alia est ratio inter cogitationum dispositionem atque elocutionem. Qua comparatione ad nostrum argumentum translata hoc significari voluimus, ubi in flumine orationis facultas fingendi et sensus modicam tantum vim habeant in expositionem copulationemque cogitationum inter se, ita ut naturalem ordinem sequentes negligenter quasi et leniter profluant, - ibi quoque eas cerni simplicitate, naturalitate, popularitate, munditia tum in eligendis tum in collocandis verbis, elocutionis perspicuitate, rotunditate periodorum, varietate numerorum, facilitate transitionum et ea brevitate, quae quamvis ab omni jejunitate aliena tamen nihil supervacanei afferat. His

porro nihil aliud significare voluimus nisi, ubi in elaboranda et ornanda cogitatione sententiarum flumen modo aequabiliter et placide fluat, modo cernatur subitis inexspectatisque transitionibus, ex animo alte commoto provenientibus et inflammata phantasia, quae animum percellant et affectus moveant, - ibi quoque stilum sive vestitum hujus sententiarum fluminis conspici oportere adhibendis omnibus adjumentis, quae lingua possideat ad animum et phantasiam vehementer commovendam. Denique his omnibus hoc solum significare voluimus, ubi flumen sententiarum idearumque sensim paulatimque se dilatet atque majore ambitu se communicet, ac simul sedate leniterque profluat, ita ut murmure suo eum sonum edat, quo mentem devinciat, phantasiam impleat, animum ad altiora quaeque et generosiora excitet, ibi quoque copulationem et progressum lenium illorum, gravium atque generosarum sententiarum apparere debere bene sonantibus periodis, lenibus transitionibus, elegantia dictionis, cum candida simplicitate junctis. Ibi ad vestiendas et ornandas cogitationes omnia adhibeantur figuratae linguae ornamenta, quae animum et cogitationem mulcere possint; ibi capiamur illa elocutionis venustate et lenitate, quae cum acumine et veritate conjuncta, atque omnibus numeris perfecta et absoluta, unum cogitationis speculum esse potest, cui formae illae vehiculo esse debent. - Hujusmodi sit vinculum orationis dispositionem inter et elocutionem.

Suspicamur vero, contra hanc sententiam, ut a

nobis generatim posita et explicata est, quaedam afferri posse, nempe: quantumvis arcta sit copula, quae sententiarum seriem earumque elocutionem, - copula quae ea, quae sentimus et loquimur, connectat, - tamen aliter loqui aliter sentire, eheu! saepissime in consuetudinem abiisse, praesertim in elegantiore, quae dicitur, societate. (1) Porro plures scriptores vel oratores idearum egestatem, ingenii et phantasiae inopiam, animi facultatum mediocritatem verborum majestate et splendore abscondere vel compensare conari, eoque dissolvi copulam dispositionis et dictionis. At hoc vitium, hic error externam formam ornandi sine ullo argumenti respectu non arti tribuendus est sed ignorationi artis. Verae enim arti absoluta et perfecta forma nihil aliud est nisi adjumentum, quo res quam maxime distincte et dilucide cum aliis communicentur.

Quapropter oratores vel scriptores ita agentes stulto similes sunt, qui virum principem pannis exornare vellet, mendicum vero regia veste indueret; - vel homini procero, qui pusionis vestimentis se vestire vellet aut contra. Si porro reputamus, ex nostra comparatione oppositionem nondum satis clare apparere, quia stilus non tanquam res aliqua prorsus externa, vel tanquam vestis haberi potest,

(1) Post ea, quae hac de re rectissime animadversa sunt ab uno e nostris eloquentissimis oratoribus, minime opus esse putamus, ut eam denuo refellere conemur. Satis superque causa jam judicata est.

quae e rhetorices horreo promitur ad vestiendas et ad ornandas sententias, unusquisque, ni fallor, mihi assentietur, contendenti stilum aptissimum esse debere vestitum scriptoris oratorisve sententiarum idearumque, nequaquam vero pallium, ornamenti causa injectum. Ubi vero hoc usu venit, ibi ars critica ne paullulum quidem dubitabit hujusmodi stilum respuere et damnare, etiamsi ingenium scriptoris oratorisve summis laudibus tollendum esse censeat. Quid? quod paene dixerimus cum Felice Bodino: (1) »Maudissons aussi ceux qui songèrent à distinguer ce qui est bien pensé d'avec ce qui est bien dit."

Verum quodammodo jam a proposito nostro aberravimus. Tantummodo demonstrare voluimus, absolutam esse oportere congruentiam conformationis et dispositionis sententiarum earumque elocutionis. Sed etiamsi res nobis non satis prospere cessisset, non tamen credimus defensione nobis opus esse, quod inquirentes in Jesu orationum formam, ambas has partes eodem complexi sumus capite. Nam 1o. objectiones, quae fortasse contra nostram sententiam afferri possint, dilabuntur, ubi agitur de rebus, quas ipsa veritas, Jesus Christus, ore suo loquuta est; nam errores, qui in alios quippe mortales cadere possunt, ab Illo commissi non sunt; sed potius cogitatorum atque sensorum dispositio summa harmonia concinit cum ratione, qua eorum seriem verbis exposuit. Quid enim 2o. quaereremus ordinem logicum in Jesu

(1) *Diatribe contre l'art Oratoire*, p. 22.

orationibus? Neque enim artificiose neque ostentationis causa sunt compositae, in quibus e scholis depromptas divisiones atque partitiones invenias, quales posterioribus temporibus necessario in sermone ecclesiastico requirebantur. Tota Ejus oratio naturalis erat, in qua apparuit animus valde commotus, quum auditor eum sequebatur et vim veritatis magis magisque persentiebat. Pauca igitur de orationum, quas habuit, dispositione scripto mandare possumus. Nequaquam tamen contendere volumus, Dominum in dicendo omnem plane logicum ordinem neglexisse; oratio enim montana et oratio ad discipulos habita (*Matth.* X) prorsus contrarium ostendunt, (1) sed

---

(1) Cf. H. N. Ferf, *Spec. Crit. Theol. quo fides et auctoritas Matthaei, in referenda Jesu oratione, Evang. cap. V, VI, VII vindicatur* caett. Trai. Bat. 1799. Heringa El. f. *Verkl. der Bergrede van Jezus.* Amst. 1814. v. Oosterzee, *Leven v. Jezus*, Tom. II. P. I. p. 299, quo loco de procedente orationis montanae expositione agens: „Wanneer wij," inquit, „nogmaals de geheele rede overzien, zal nu het welgegronde onzer verzekering kunnen blijken, aan den aanvang gegeven, dat het eene welgeordende, zeer geregelde redevoering is. Wel achten wij het hoogst gezocht, er een bepaald thema, eene volledige begripsontwikkeling, eene kunstige aaneenschakeling van gedachten in aan te wijzen, waarin geen woord te veel of te weinig is, om aan de eischen der strengste redekunde te voldoen. Eene kunst, waardoor alle natuur geweld wordt aangedaan, was voorzeker de welsprekendheid van Jezus niet. Maar toch is het zeer mogelijk, van het geheel een zeer geleidelijk overzigt te geven," - atque de orationis *Matth.* X: 5 sqq. litteris mandatae dispositione cff. idem l l. p. 431 sqq. Cs.

tantum eo sensu dispositionem intelligimus, quo in scholis rhetoricis usurpatur, logicum dico ordinem, qualis hodie in quavis oratione jure requiritur. Ejusdem sententiarum dispositio a Jesu eloquentia aliena erat, imo observari nullo modo potuit, quia in religionis placitis exponendis quaestionum, objectionum, omniumque interruptionum ratio Ei habenda erat; - quia Ejus sermones plerumque oriebantur e causis rebusque forte oblatis, quae extrinsecus vel ad dicendum ansam dabant vel in oratione vim habebant, - variique animi motus eodem fortasse temporis momento Ejus animum movebant.

Non solum igitur investigationi de Christi orationum dispositione finem imponemus, sed etiam satis firmas rationes attulisse nobis videmur, quare abhorreamus a divisione, quam antiquis probatam tot viri eximii sequuti sunt. Quod eo magis nobis concessum esse opinamur, quoniam ne summi quidem homiletae ac principes oratores ecclesiastici consentiunt de divisione et dispositione orationis sacrae, - quoniam nobilissimi etiam, qui apud Gallo-Francos in ecclesia floruerunt oratores sacri, eam minus curarunt, (1) quamquam nobis, ut hoc obiter animad-

---

praeterea C. H. van Herwerden in libello: *Jezus Christus in de Bergrede beschouwd als een voorbeeld voor den Kanselredenaar*, passim.

(1) De dispositione et divisione sermonis sacri legatur Borger, qui censuit eum ab initio usque ad finem unice applicativum esse debere, non vero, ut vulgo fit, partem tantum ejus applicationem continere. Vid. *Tijdschrift van Kunsten en We-*

vertamus, persuasum est, simplicem divisionem et perspicuum logicum ordinem audienti magno esse usui atque utilitati, dicentique magnum afferre commodum et facilitatem.

Itaque dispositionem et dictionem hac nostrae disquisitionis parte de Jesu orationum forma conjungemus. Quandoquidem autem principes ejus formae virtutes ejusque notas maxime generales tractaturi sumus, et ubi res postulare videbitur, notiones magis etiam speciales investigaturi, nobis propositum est considerare: I° popularem, II° biblicam, denique III° oratoriam Jesu exponendi ac dicendi rationem; simul vero in fine cujusque capitis eam formam oratori sacro imitandam commendabimus. (2)

---

tenschappen voor het jaar 1813, N. III, bl. 116-124 et Praefatio Orationum s. s. P. I. p. VII et VIII, ed. 6ae. Neque negari potest ejus sententiam exemplo niti maximorum oratorum sacrorum primorum saeculorum; Cff. v. c. Chrysostomi Orationes. — E gallicis oratoribus s. s. vid. Massillon, Oratio de *Joh.* VI: 5. (*Petit Carême*).

(2) Speramus fore ut non incuriae vel negligentiae accusemur, quod non data opera egerimus de lingua et dialecto, qua Dominus in sermonibus usus est. Haec vero investigatio ad antiquitatis studium, non ad nostram disquisitionem pertinet; et post ea quae de Rossi et Pfankouche hac de re disputarunt, absoluta esse videtur. Qui vero plura de ea cognoscere cupit, adeat quaeso: v. Oosterzee, *L. v. J.* Vol. I. P. II. p. 437 sq., ac scriptores ab eo laudatos.

CAPUT PRIMUM.

DE POPULARI EXPONENDI AC DICENDI RATIONE.

§ 1

Quid vulgo significatur populari exponendi dicendique ratione?

> Popularis orationis haec vis est, ut verbis utamur non nisi iis, quae in usu vitae quotidianae versantur, eoque sensu, quo consuetudo communis usurpat, sed ita tamen, ut elegantia conservetur: quod non parum diligentiae ipse Cicero agnoscat. Itaque non modo omnia verba vitabimus et genera loquendi, quae in scholis et arte aliqua interiori usurpantur, sed etiam ea, quae sunt quidem in linguae usu, sed non pervulgato.
>
> Ernesti, *Init. Rhetor.* § 312.

Antequam rationem popularem quae in Jesu orationibus conspicitur, consideramus, paucis videamus, quaenam proprie eloquentia popularis sit habenda.

Operae pretium enim est talem instituere indagationem; et primum quidem ob primarium locum, quem forma popularis in dicendo obtinet, ita ut κατ' ἐξοχὴν ejus nota appelletur, - deinde ob varias ac saepe diversas et contrarias notiones, quae popularitati tribuuntur, vel vagas significationes, quae huic vocabulo assignantur. (1)

Nos eam intelligimus orationis virtutem, quae efficit, ut non solum a populo recte intelligatur, sed eum etiam alliciat eique placeat. Populi autem nomine non solum eos intelligimus homines, qui minus bene a natura habiti sunt, pauperes et incultos, sed universe tales, qui non ad doctos et eruditos pertinent, ita ut virum acute et subtiliter disputantem sequi nequeant in obscuris et absconditis investigationibus, nec comitari philosophum in praerupto meditationis itinere.

Orator igitur tum demum popularis est, quando ea utitur lingua, quae suis auditorius maxime est accommodata. Sive igitur dicat coram inferiore atque incultiore hominum genere, sive coram auditoribus maxima praeditis doctrina atque liberaliter institutis, - semper ea utatur lingua, quae iis propria est. Apud quodcumque horum auditorum genus loquetur orator, dictis suis ac sententiis pretium, lucem, vim afferre poterit iis copulandis cum rebus et factis, ex ipsorum

---

(1) Conf. Marezoll, *Over de bestemming v. d. kerk. Redenaar*, bl. 154, inpr. vero Heringa in *kerkel. Raador. en Raadg.* III. 2. p. 62-122.

orbe sumtis, iisque illustrandis locutionibus et sententiis, ex ipsorum lingua vel cogitandi ratione petitis.

Itaque primae eloquentiae popularis virtutes nullae aliae esse possunt, nisi perspicuitas et subtilitas in compositione et elocutione cogitationum; quae si negliguntur, fieri non potest, ut orator bene a vario auditorum genere intelligatur. Si autem jam in superioribus vidimus, popularitatem etiam in eligenda et elaboranda orationis materia attendendam esse; si tum contendimus etiam argumentum oratoris accommodandum esse ad auditorum cogitandi agendique rationem, - haec popularitas non materia sola continetur, sed et formam complectitur ac postulat ut etiam haec auditorum captui sit accommodata, et ab omnibus intelligatur iisque placeat. Hunc finem si sibi proponit orator, primum ei opera danda est ut diligens sit atque subtilis in sententiarum verborumque delectu, ut circumcidat quae nimis luxuriant, atque omittat quae supervacanea sunt; - hinc oritur ea virtus, quae pulcherrimum popularis eloquentiae est ornamentum: perspicuitas.

Nihil vero oratori hoc munere pulcre functuro difficilius est, quia non solum vivida imaginatione, sana mente, acuto atque sincero judicio praeditus sit necesse est, sed etiam multarum artium disciplinarumque copia instructus. Argumentum, quod sibi tractandum sumsit, cum penitus animo perlustrasse oportet, nam sribendi recte sapere est èt principium èt fons, ut jure dixit Horatius. (1) Materiam igitur,

(1) Art. Poët. 309.

de qua dicturus est, plane cognitam atque in minutissimis partibus ita perspectam habere debet, ut in ea nihil confusi, nec obscuri deprehendatur. (1)

Tum demum ejus cogitationes ita expositae erunt, ut èt singulae per se èt conjunctae inter se, ab omnibus, qui satis exculti atque eruditi sunt sine magna animi intentione in omnibus omnino partibus intelligantur. Nulla igitur dispositionis et dictionis perspicuitas esse potest sine sententiarum maturitate earumque recta et subtili copulatione; - utraque enim efficit, ut orator se ipsum intelligat atque omnem ambiguitatem evitet, nihilque dubium vel inchcatum relinquat.

---

(1) Sicut Boilavius nobis his versibus descripsit:

Selon que notre idée est plus ou moins obscure,
L'expression la suit, ou moins nette, ou plus pure,
Ce que l'on conçoit bien, s'énonce clairement,
Et les mots pour le dire arrivent aisément.

In carmine, quod inscribitur: *l'Art poët.* Ch. I., ad quem locum conferri etiam potest van der Palm, *Salomo*, Tom. IV. p. 344, ubi explicationem affert Proverbiorum XVI:21; - Fénelon et Schrant, *Gesprekken over de Welsprekendheid*, p. 50 et anim. 18, - p. 108 et anim. 44, - p. 184-186; - et Felix Bodin, in diatribe, qui ea de re p. 84 et sq. habet: „Un homme, qui n'aura pas de clarté dans les idées n'en aura jamais dans le style," neque tantum id dicit, verum affirmare etiam audet: „Il est impossible, qu'un homme, doué d'un bon esprit, dont les idées seront nettes et bien enchaînées, dont les émotions seront vraies, n'ait pas un bon style. Lisez les livres des savans et des philosophes, sans compter même Bacon, Descartes et Newton, et vous verrez que tous ceux, qui ont eu de bonnes idées, ont bien su les exprimer. Aussi Buffon a-t-il eu raison de dire que le style est l'homme même."

Sed popularis eloquentia etiam valet, ubi de simplicitate et naturalitate agitur, qui pulcherrimus omnium artis operum decor est atque veri sigillum. Praestanti oratione unus nostratum vir doctissimus jam dixit in hac praesertim parte recentiorum eloquentiam antiquâ longe esse inferiorem. Horum igitur simplex, absolutum, naturale dicendi genus opponit recentiorum ingratae saepe et quaesitae gravitati. (1)

Haec si reputemus memores sententiae »natura artis magistra" non dubitabimus popularitatem pulcherrimum orationis ornamentum et veram eloquentiae notam appellare. Ea vero, quamquam communem usum loquendi imitans, inimicissima est nimis quaesitae isti puritati, quae ne minimum quidem audet, quod severae atque contortae saepe grammaticae leges damnent; modeste se ab omni praecepto solvit, quo animus in sententias verbis exprimendo, vinculis quasi constringitur. Respuit simul omne quod humile et abjectum est, nec ornamenta sectatur, sed potius omnem ornatum fugit, qui cum ipsis sententiis sua sponte non cohaereat. Cogitationes atque animi affectus verbis maxime propriis, naturali prorsus modo exprimere, hoc ejus

(1) Conf. des Amorie v. d. Hoeven, in *orationibus* p. 124-129, qui in oratione de *popularitate tanquam vera eloquentiae nota* hunc locum fuse tractat. „Niets is zoo doodelijk," inquit voor de ware welsprekendheid en zoo strijdig met de populariteit, als dit fraai en sierlijk spreken. Zulk eene opgeschikte rede moge in het oor van sommigen welluidend klinken, als een liefelijk maatgezang, de menigte treffen, roeren, wegslepen en vermeesteren zal zij niet."

munus est, hoc officium. Popularis orator iis utitur verbis, quae natura rei, ipsius judicium atque sensus sponte ei offerunt. Incultum naturae filium saepe observat, qui in summa simplicitate, saepe etiam in vehementioribus animi perturbationibus, iracundia, dolore, anxietate tanta eloquentia excellit, quanta nulla ars imitari possit. Vera eloquentia propterea nihil melius dictum vel scriptum esse ducit, quam quod tam simplex videtur, ut unusquisque, licet plane egregiam eloquendi rationem perspiciens, sibi aeque bene dicere atque scribere posse videatur.

Magna ars, - imo maxima latet in eloquentia populari, eaque digna sane est omnium studio et animadversione, quod alias praeterea virtutes continet. Non solum enim requirit praeclaram indolem, quae cernitur acri sentiendi et judicandi facultate, quae doctrina exculta et assidua exercitatione corroborata est, sed praeterea uberem et feracem excogitandi vim, quae sola oratori facultatem praebet, ut se una cum argumento in variis vitae conditionibus collocet, quo ejus verba auditoribus cum majoris momenti, tum majoris utilitatis sint. Non minus accuratam postulat humanae naturae scientiam, qua orator omnes animi recessus perlustrare, atque maxime abditas hominum vitae latebras indagare valeat. Denique postulat etiam animum vere humanum, non illiberali et abjecta lucri cupiditate contaminatum, sed spirantem veri amorem atque aequalium salutem. (1)

---

(1) Simili modo in oratione supra laudata clar. des Amorie

De significatione vero, notionibus, muneribus, momento popularis orationis formae haec pro nostrae disquisitionis ambitu ac consilio sufficiant. Procedamus jam ad Jesu eloquentiam, et videamus, quam normam, quam rationem Ille nobis praecipiat.

§ 2.

De populari Jesu orationum forma.

In investiganda ratione, qua Jesus argumentum et vinculum suarum orationum exposuerit, atque cogitationes enuntiaverit, non dubitamus, quin Ejus eloquentia popularitatem tanquam primariam notam atque indolem impressam habeat. Quam ob causam forma popularis etiam oratori sacro maximi est momenti, praesertim quod ipse Jesus non coram delecto virorum doctorum circulo disseruit, sed prodiit in auditorum turbam, quorum occultissima consilia, atque cupiditates, quorum animum vel in abditissimis latebris explorare, et in quibus omnes morales et religiosos sensus excitare debuit.

Itaque religionis placita, quae tradebat, in clarissimam semper lucem proferebat. Unusquisque vel ex in-

---

v. d. Hoeven hac de re disseruit p. 114 et 115, quocum relegamus ad C. Pruijs v. d. Hoeven, *Redevoering over Socrates, zijne leer en leerwijze naar Xenophons gedenkschrift*, quae oratio invenitur in opere, cujus titulus est, *Magazijn voor Wetenschappen, Kunsten en Letteren*, verzameld door G. N. van Kampen. T. III. p. 477.

fima plebe facile ea intelligere poterat, omniumque quae exponebat sensum, vim, pondus perspicere. Numquam aliquid nude et dialectice proponebat, sed illustrare et commendare omnia studebat facili argumentatione, dilucida expositione, perspicua refutatione, dictis e vita quotidiana petitis, figurata lingua, magna exemplorum et parabolarum copia, quibus omnibus simplicitati et perspicuitati inserviebat et primariis eloquentiae popularis officiis satisfaciebat.

Saepius etiam utebatur proverbiis, quae plerumque summam apud vulgus habent vim, quibus philosophia popularis ac praecepta vitae, ut ita dicam, continentur, - et tamen nusquam apud Eum reperitur proverbium humile vel abjectum; omnia excellunt generositate atque elegantia, et digna sunt argumento, quod tractat. (1) Vulgo Ejus sermones medium tenent inter vitae quotidianae loquendi rationem et nonnullorum oratorum grandiloquentiam. Ab altera quidem parte nullas admittit dialecticas demonstrationes, artificiosas divisiones, vel orationem aequaliter procedentem; - ab altera vero parte fugit vitiosa verba, abjectam comparationem vel enunciationem non bene sonantem.

Porro Jesus saepissime provocabat ad ipsorum auditorum experientiam. Majorem hoc saepe vim habet in hominibus, quam si quid logice vel dialectice proponitur, et ejusmodi argumentis multo citius convincitur multitudo, quoniam eae demonstra-

---

(1) Cf. ad h. l. Vorstius, *de Adagiis N. T.*, edente Glassio, passim.

tiones arctius cum sensus testimonio cohaerent, quo illi saltem maxime permoventur.

Quae hoc loco universe sunt disputata nonnullis exemplis ex Jesu populari orationum forma petitis, clarius illustrare conabimur, ubi vel dicta ipse accuratius exponit, vel rem variis modis proponit, vel proverbiis e vita quotidiana sumtis, comparationibus ac conditionibus e rerum natura petitis, vel parabolis et allegoricis narrationibus, ea quae docet, omnibus probat et commendat. (1)

---

(1) His fere similia sunt, quae doct. Georg. Benedict. Winerus, in libro: *Bibl. Realwörterb.* habet: „Als Einkleidungsweise liebte er vorzüglich Gleichnisse, Parabeln, Allegorieen und Gnomen, auch Paradoxa; sie schlossen sich genau an die Fassungskraft der Menge an, und selbst das Neue und Eigenthümliche seiner Lehre fasste er in gewohnte jüdische Formen. Gelehrten Juden gegenüber wusste J. durch einfache Klarheit des Verstandes die hochfahrende Dialektik zu besiegen, indem er die von jenen angegebene Schlussart verfolgte. Wenn sie ihm captiöse Fragten vorlegten, brachte er sie nicht selten durch ähnliche Fragen, die meist die Form eines Dilemma hatten oder durch Berufung auf das klare schriftliche Gesetz oder die heilige Geschichte oder Analogieen des gewöhnlichen Lebens zum Schweigen oder setzte sie mit ihrer Weisheit und ihren Gesetzeseifer in Verlegenheit." Unde patet secundum popularitatis definitionem a nobis in praecedente § datam, popularem Jesu orationum formam non contineri iis, quae ad populum dixit, sed maxime cerni in verbis, quibus apud Pharisaeos, Sadducaeos omnemque doctorum Judaeorum gentem usus est.

I.

»Optimus quisque suorum verborum interpres est habendus" non immerito proverbio dicitur. Quid enim simplicius, quam ut orator, quando existimat se non satis recte ab auditoribus intellectum esse, se ipse planius explicet? Quod etiam Domino cordi erat, nam saepe verba sua et consilia interpretabatur, ubi suspicari poterat, se non recte intellectum esse, vel omnem cogitationum ordinem non esse perspectum. Si enim hac de re vel minima dubitatio ei oriebatur, identidem rogare solebat: Συνήκατε ταῦτα πάντα. (1)

Se ipsum explicare sane est praestantissima et brevissima via, ut apud omnes plane ac dilucide dicamus. Inter plura alia exempla Dominum id facere solere, quando postularetur, documento sit *Marc.* X: 23 sqq. Primum universe loquutus erat de divitibus terrae et de difficultate, qua premebantur, quominus in Dei regno veri incolae fieri possint, sed vix animadvertit discipulos suos rem non perpectam habere, quin uberiorem explicationem in ore habeat, dicens pro οἱ τὰ χρήματα ἔχοντες, quibus verbis in priore parte usus erat: πῶς δύσκολόν ἐστι τοὺς πεποιθότας ἐπὶ τοῖς χρήμασιν, εἰς τὴν Βασιλείαν τοῦ Θεοῦ εἰσελθεῖν; quo diserte indicat, se tantum ejusmodi homines intelligere, qui divitiis et opibus superbiant, et qui mundi amore coelestem thesaurum,

(1) *Matth.* XIII: 51.

regni divini societatem amittant. - Firmiora etiam testimonia afferre possumus, pulchriora etiam exempla petere ex Ejus orationibus, ad ea quae diximus probanda, (1) sed investigare malumus, quomodo Jesus sententiam aliquam illustraverit, quum eam a diversis partibus consideraret, et propter magnam dicendi copiam aliis verbis iteraret et amplificaret, quando id rectae rei intelligentiae inserviebat. Legatur e. g. *Matth.* VI: 25 sqq. ejus avocatio ab anxia de vitae necessitatibus cogitatione: *μὴ μεριμνᾶτε τῇ ψυχῇ ὑμῶν*, inquit Dominus, scilicet: *τί φάγητε καὶ τί πίητε*, - iterum: *καὶ περὶ ἐνδύματος τί μεριμνᾶτε*, et denique tertia vice èt hoc èt illud, omnia quibus angi possent complectens, iterat sect. 34: *μὴ οὖν μεριμνήσητε εἰς τὴν αὔριον· ἡ γὰρ αὔριον μεριμνήσει τὰ ἑαυτῆς· ἀρκετὸν τῇ ἡμέρᾳ ἡ κακία αὐτῆς.* - Quum autem Matthaei Evangelii Caput VI inspicimus, rationem denuo contemplari cupimus, qua Jesus, placita et praecepta sua clarissimam in lucem proferre sciebat. - Contra

(1) In scribendis his verbis cogitavimus de literali a Jesu data interpretatione parabolae de satore et semine. Praeclarum sane exemplum, quod accuratiore meditatione dignissimum est. Vid. *Marc.* IV: 13 sqq. Praeterea operae pretium est conferre *Joh.* VI: 46, ad quem locum Doct. v. Oosterzee, l. l. Tom. II. P. I. p. 465, 466 hanc paraphrasin vel explicationem affert: „Meent intusschen niet, dat gij eene onmiddelijke openbaring van den Vader ontvangen zoudt, (dan zoudt gij mijne woorden verkeerd verstaan) „niet dat iemand den Vader gezien heeft, dan alleen Hij, die van God is (de gezondene des Vaders, die uit den Hemel is nedergedaald) deze heeft den Vader gezien."

omnem religiosarum actionum jactationem et ostentationem verba faciens, monita sua extendit per tria ejusdem generis officia: preces, jejunia, eleemosynen, atque ita, nulla philosopha distinctione usus, totum exhortationis ambitum complectitur: sect. 1ª. προσέχετε τὴν ἐλεημοσύνην ὑμῶν μὴ ποιεῖν ἔμπροσθεν τῶν ἀνθρώπων, πρὸς τὸ θεαθῆναι αὐτοῖς, - sect. 5ª. καὶ ὅταν προσεύχῃ, οὐκ ἔσῃ ὥσπερ οἱ ὑποκριταί· ὅτι φιλοῦσιν ἐν ταῖς συναγωγαῖς καὶ ἐν ταῖς γωνίαις τῶν πλατειῶν ἑστῶτες προσεύχεσθαι, ὅπως ἂν φανῶσι τοῖς ἀνθρώποις, - sect. 16ª. ὅταν δὲ νηστεύητε, μὴ γίνεσθε ὥσπερ οἱ ὑποκριταὶ, σκυθρωποί· ἀφανίζουσι γὰρ τὰ πρόσωπα αὐτῶν, ὅπως φανῶσι τοῖς ἀνθρώποις νηστεύοντες· Eo modo Dominus praecepta sua illustrare sciebat, ut ab omnibus intelligerentur; eam rationem Jesus iniit ut, si quando aliquid minus absolute proposuisset, iteratione, amplificatione vel oppositione, id expleret atque auditoribus perspicuum gratumque faceret.

Praeter omne hocco Matthaei caput vidd. *Luc.* XV; - *Joh.* VI: 14-65, (1) - aliique loci plures quam qui hoc loco afferri possint.

II.

Alia praeterea ratione Jesus orationum forma usus est populare. - Animus minus excultus, infantiae similis, orientalis audientium indoles postulabat etiam,

---

(1) Ad *Joh.* VI: 24-65 conferri meretur Doct. v. Oosterzee l. l. Tom. II. P. I. p. 469 sqq.

ut ad eorum captum et patriae morem Dominus loqueretur brevibus effatis, acutis sententiis, rei accommodatis proverbiis. Qua excellebat simplicitate, naturalitate, perspicuitate in dictione et dispositione breviter, distincte, graviter dicendo sensa exprimit, penitusque doctrinam suam animo et menti multitudinis infigit, attentionem stimulans discendique cupiditatem excitans. Nihil enim tam perniciosum est verae eloquentiae, tam contrarium popularitati, quam copiosae circumscriptiones, longae disputationes, in qua verborum copia ipsa sententia, ut ita dicam, quasi demergitur. Inde caussa quaerenda est, quod in Jesu sermonibus acuta illa dicta reperiuntur, - et saepe mirandum est, quomodo Dominus paucis verbis res gravissimas dicere potuerit. (1) Nonnulla ex ingenti

---

(1) Cf. omnino van Herwerden, *J. C. in de Bergrede*, rell. p. 20 et 21, inprimis acuta ejus animadversio, ubi de brevitate dictionis agens, qua Servator in oratione montana usus est: „Ik herinner slechts," inquit, „dat één der langste volzinnen deze is: wees haastelijk welgezind jegens uwe tegenpartij, terwijl gij nog met hem op weg zijt, opdat de tegenpartij niet misschien U den regter overlevere, en de regter U den dienaar overlevere, en gij in de gevangenis geworpen wordt. Wij noemen den Zaligmaker in dit opzigt navolgingwaardig." Et paulo inferius: „Is er bij voorbeeld," inquit, „een woord te veel in deze schoone herinnering: en wanneer gij bidt, zoo zult gij niet zijn gelijk de geveinsden; want die plegen gaarne in de Synagogen en op de hoeken der straten staande te bidden. Voorwaar, ik zeg u, dat zij hun loon weg hebben! Of in de uitspraak:

breviter dictorum numero, quae Jesu orationes nobis praebent, hoc loco adscribemus, v. c. ὑμεῖς ἐστε τὸ ἅλας τῆς γῆς, (1) - ὑμεῖς ἐστε τὸ φῶς τοῦ κόσμου, (2) - ἐγὼ καὶ ὁ πατὴρ ἕν ἐσμεν, (3) - γίνεσθε οὖν φρόνιμοι ὡς οἱ ὄφεις, καὶ ἀκέραιοι ὡς αἱ περιστεραί, (4) - ἔστωσαν ὑμῶν αἱ ὀσφύες περιεζωσμέναι, καὶ οἱ λύχνοι καιόμενοι, (5) - μνημονεύετε τῆς γυναικὸς Λώτ, (6) - οὐκ ἦλθον βαλεῖν εἰρήνην, ἀλλὰ μάχαιραν, (7) - πάντα ὅσα ἂν θέλητε ἵνα ποιῶσιν ὑμῖν οἱ ἄνθρωποι, οὕτω καὶ ὑμεῖς ποιεῖτε αὐτοῖς, (8) - μακάριόν ἐστι διδόναι μᾶλλον ἢ λαμβάνειν, (9) verisimiliter ex sermone Christi ἀγράφῳ sumtum, - συμφέρει ὑμῖν ἵνα ἐγὼ ἀπέλθω, (10) - μὴ φοβοῦ, μόνον πίστευε, (11) - ὃς γὰρ οὐκ ἔστι καθ' ἡμῶν, ὑπὲρ ἡμῶν ἐστιν, (12) - τί δὲ βλέπεις τὸ κάρφος τὸ ἐν τῷ ὀφθαλμῷ τοῦ ἀδελφοῦ σου· τὴν δὲ δοκὸν τὴν ἐν τῷ ἰδίῳ ὀφθαλμῷ οὐ κατανοεῖς, (13) - ἄφες τοὺς νεκροὺς θάψαι τοὺς ἑαυτῶν νεκρούς (14) κ. τ. λ.

In allatis his exemplis nonnulla adscripsimus, quae audientibus verisimiliter paradoxa fuerunt. Sed ipsa illa insolentia, ipsa illa simulata repugnantia maxime

---

Niemand kan twee heeren dienen: Gij kunt Gode niet dienen en den Mammon." Zeker is het eene kunst, zoo kort te spreken?"

(1) *Matth.* V : 13*a*.
(2) *Matth.* V : 14*a*.
(3) *Joh.* X : 30.
(4) *Matth.* X : 16*b*.
(5) *Luc.* XII : 35.
(6) *Luc.* XVII : 32.
(7) *Matth.* X : 34*b*.
(8) *Matth.* VII : 12*a*.
(9) *Act.* XX : 35*b*.
(10) *Joh.* XVI : 7.
(11) *Marc.* V : 36*b*.
(12) *Marc.* IX : 40.
(13) *Luc.* VI : 41.
(14) *Luc.* IX : 60.

ad eorum animi attentionem excitandam accommodata erat.

Ob eandemque causam Jesus praeterea sententias et proverbia adhibebat, quae in Oriente, praesertim populo Israëlitico, valde usitata erant. (1) Sententiis atque proverbiis brevia illa acutaque dicta intelligimus, quibus sive veritas, sive praeceptum, sive vitae norma, sive effatum continetur, quod ex ingenio petitum usu vitae probatur. Omnia per se sunt posita, neque systema absolutum constituunt, licet fundamentum efficiant doctrinae, quoniam nucleus doctrinae iis continetur. Reperiuntur fere in omnibus populis juvenilibus et ab hominibus minus excultis usurpantur. Hanc ob causam Jesus iis maxime coram infima plebe utebatur, cujus rei documento sit ingens eorum copia, quae in hoc Ejus orationum genere inveniuntur. Reperimus proverbia, v. c. de minutissima re similitudinem illam: *ὡς κόκκον σινάπεως* (2), de re difficillima vel potius de re, quae fieri nequit: *εὐκοπώτερόν ἐστι κάμηλον διὰ τῆς τρυμαλιᾶς τῆς ῥαφίδος διελθεῖν, ἢ πλούσιον εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ εἰσελθεῖν* (3), - de eo, cui ingens calamitas imminet: *συμφέρει αὐτῷ ἵνα κρεμασθῇ μύλος ὀνικὸς ἐπὶ τὸν τράχηλον αὐτοῦ, καὶ καταποντισθῇ ἐν τῷ πελάγει τῆς θαλάσσης.* (4)

---

(1) De modo, quo Dominus sententiis ac proverbiis usus est, conf. Broes: *Proeve van Aanmerkingen over de leerwijs van J. C.* p. 13 et 14.

(2) *Marc.* IV : 31; *Luc.* XVII; 6.

(3) *Marc.* X : 25.

(4) *Matth.* XVIII : 6 coll. *Marc.* IX : 42.

breviter dictorum numero, quae Jesu orationes nobis praebent, hoc loco adscribemus, v. c. ὑμεῖς ἐστε τὸ ἄλας τῆς γῆς, (1) - ὑμεῖς ἐστε τὸ φῶς τοῦ κόσμου, (2) - ἐγὼ καὶ ὁ πατὴρ ἕν ἐσμεν, (3) - γίνεσθε οὖν φρόνιμοι ὡς οἱ ὄφεις, καὶ ἀκέραιοι ὡς αἱ περιστεραί, (4) - ἔστωσαν ὑμῶν αἱ ὀσφύες περιεζωσμέναι, καὶ οἱ λύχνοι καιόμενοι, (5) - μνημονεύετε τῆς γυναικὸς Λώτ, (6) - οὐκ ἦλθον βαλεῖν εἰρήνην, ἀλλὰ μάχαιραν, (7) - πάντα ὅσα ἂν θέλητε ἵνα ποιῶσιν ὑμῖν οἱ ἄνθρωποι, οὕτω καὶ ὑμεῖς ποιεῖτε αὐτοῖς, (8) - μακάριόν ἐστι διδόναι μᾶλλον ἢ λαμβάνειν, (9) verisimiliter ex sermone Christi ἀγράφῳ sumtum, - συμφέρει ὑμῖν ἵνα ἐγὼ ἀπέλθω, (10) - μὴ φοβοῦ, μόνον πίστευε, (11) - ὃς γὰρ οὐκ ἔστι καθ' ἡμῶν, ὑπὲρ ἡμῶν ἐστιν, (12) - τί δὲ βλέπεις τὸ κάρφος τὸ ἐν τῷ ὀφθαλμῷ τοῦ ἀδελφοῦ σου· τὴν δὲ δοκὸν τὴν ἐν τῷ ἰδίῳ ὀφθαλμῷ οὐ κατανοεῖς, (13) - ἄφες τοὺς νεκροὺς θάψαι τοὺς ἑαυτῶν νεκρούς (14) κ. τ. λ.

In allatis his exemplis nonnulla adscripsimus, quae audientibus verisimiliter paradoxa fuerunt. Sed ipsa illa insolentia, ipsa illa simulata repugnantia maxime

---

Niemand kan twee heeren dienen: Gij kunt Gode niet dienen en den Mammon." Zeker is het eene kunst, zoo kort te spreken?"

(1) *Matth.* V : 13*a*.
(2) *Matth.* V : 14*a*.
(3) *Joh.* X : 30.
(4) *Matth.* X : 16*b*.
(5) *Luc.* XII : 35.
(6) *Luc.* XVII : 32.
(7) *Matth.* X : 34*b*.
(8) *Matth.* VII : 12*a*.
(9) *Act.* XX : 35*b*.
(10) *Joh.* XVI : 7.
(11) *Marc.* V : 36*b*.
(12) *Marc.* IX : 40.
(13) *Luc.* VI : 41.
(14) *Luc.* IX : 60.

ad eorum animi attentionem excitandam accommodata erat.

Ob eandemque causam Jesus praeterea sententias et proverbia adhibebat, quae in Oriente, praesertim populo Israëlitico, valde usitata erant. (1) Sententiis atque proverbiis brevia illa acutaque dicta intelligimus, quibus sive veritas, sive praeceptum, sive vitae norma, sive effatum continetur, quod ex ingenio petitum usu vitae probatur. Omnia per se sunt posita, neque systema absolutum constituunt, licet fundamentum efficiant doctrinae, quoniam nucleus doctrinae iis continetur. Reperiuntur fere in omnibus populis juvenilibus et ab hominibus minus excultis usurpantur. Hanc ob causam Jesus iis maxime coram infima plebe utebatur, cujus rei documento sit ingens eorum copia, quae in hoc Ejus orationum genere inveniuntur. Reperimus proverbia, v. c. de minutissima re similitudinem illam: ὡς κόκκον σινάπεως (2), de re difficillima vel potius de re, quae fieri nequit: εὐκοπώτερόν ἐστι κάμηλον διὰ τῆς τρυμαλιᾶς τῆς ῥαφίδος διελθεῖν, ἢ πλούσιον εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ εἰσελθεῖν (3), - de eo, cui ingens calamitas imminet: συμφέρει αὐτῷ ἵνα κρεμασθῇ μύλος ὀνικὸς ἐπὶ τὸν τράχηλον αὐτοῦ, καὶ καταποντισθῇ ἐν τῷ πελάγει τῆς θαλάσσης. (4)

---

(1) De modo, quo Dominus sententiis ac proverbiis usus est, conf. Broes: *Proeve van Aanmerkingen over de leerwijs van J. C.* p. 13 et 14.

(2) *Marc.* IV : 31; *Luc.* XVII; 6.

(3) *Marc.* X : 25.

(4) *Matth.* XVIII : 6 coll. *Marc.* IX : 42.

En exempla linguae popularis! En specimina quam suaviter et acute doctrinam suam aliis proponeret! Nonne testimonium verae Ejus in dicendo popularitatis est, quod, Dominum imitantes, locutionibus proverbialibus hodie etiam utimur, veluti: ἄξιος ὁ ἐργάτης τῆς τροφῆς αὐτοῦ ἐστιν, (1) - μὴ δῶτε τὸ ἅγιον τοῖς κυσὶ, μηδὲ βάλητε τοὺς μαργαρίτας ὑμῶν ἔμπροσθεν τῶν χοίρων, (2) - ἕκαστον δένδρον ἐκ τοῦ ἰδίου καρποῦ γινώσκεται. (3) Cff. porro: *Marc.* IV: 24; *Matth.* IX: 12; (4) *Luc.* XII: 34; *Matth.* VII: 3; *Luc.* XVI: 10[a]; *Matth.* XXIV: 28; *Joh.* IV: 37[b]; *Matth.* XII: 13, et inprimis *Luc.* IV: 23.

Hanc autem dicendi rationem Jesus non solum sequutus est ad mentem suam exprimendam, sed praesertim ut populus haud magno cum labore et in perpetuum memoria teneret, quae ab Eo audivisset. Nobis quoque, praesertim vero minus cultis auditoribus, acute et scite dicta, sententiae, proverbia magnopere probantur. Quotidie enim nos docet experientia breviter et graviter dictum aliquod ob ipsam simplicitatem, veritatemque spectatam, magnam in nobis habere vim, quum in expositione fusae lataeque disputationis sae-

---

(1) *Matth.* X: 10.

(2) *Matth.* VII: 6.

(3) *Luc.* VI: 44a.

(4) Ad quem locum conferendus est Doct. v. Oosterzee: *L. v. J.* T. II. P. I. p. 204; ubi verba notatu digna: „De sententieuse vorm van dit gezegde doet ons veronderstellen, dat het reeds toen een spreekwoord was. Zeker is het dat later geworden."

pissime initium obliti sumus atque in fine orationis omnia nobis plane obscura sunt. - Lingua atque philosophia popularis, brevitas, perspicuitas et subtilitas primaria sunt Jesu orationum elementa, iisque efficiebatur ut populus ex Ejus ore penderet.

III.

E dictis efficimus unumquemque facile persuasum sibi habiturum esse, Jesum praecepta sua dilucide et distincte proposuisse. De hac vero re nullum amplius dubium superesse poterit, si animadverterimus popularem Ejus orationum formam in adhibendis exemplis e communi vita suorum auditorum vel e natura petitis. - Non sunt mera verborum ornamenta, quum exempla ad sententiam suam explicandam affert, sed demonstrationes eorum quae posuit, argumentationes ad refutanda ea, quae oppugnat, illustrationes eorum quae tractavit, applicationes eorum, de quibus disputavit. Ex interna et externa hominum societate, singulorumque experientiâ, e rerum naturâ, quam maxima cura ac diligentia observabat, (1) sua petere exempla sole-

(1) Doct. Amadeus Wiessner Jesu naturae contemplationem his verbis circumscribit (*Geschichte der Christl. kirchl. Beredsamkeit*, p. 72 et 73.): „Hervorleuchtend in seinen Reden is die Kenntniss der Natur, welche durch seine Reisen und sein häufiges Verweilen in ihrem Tempel befördert werden musste. Er war nicht nur flüchtiger Bemerker und Bewunderer ihrer Schönheiten, sondern beobachte mit forschendem

τίνα δὲ ὑμῶν τὸν πατέρα αἰτήσει ὁ υἱὸς ἄρτον, μὴ λίθον ἐπιδώσει αὐτῷ; εἰ καὶ ἰχθῦν, μὴ ἀντὶ ἰχθύος ὄφιν ἐπιδώσει αὐτῷ; ἢ καὶ ἐὰν αἰτήσῃ ᾠόν, μὴ ἐπιδώσει αὐτῷ σκορπίον; (1) »tanta duritia a vero patre exspectari nequit, naturae repugnat." Jam intelligebant, cur Pater coelestis, benevolus quum sit, etiam sibi bona quaeque, quae precibus piis et sanctis ab Eo flagitarent, donare velit. - A Pharisaeis interrogatus, quare cum publicanis et peccatoribus convivaretur, simplici et acuto modo respondet Servator, exemplo e vita quotidiana petito: οὐ χρείαν ἔχουσιν οἱ ἰσχύοντες ἰατροῦ, ἀλλ' οἱ κακῶς ἔχοντες; (2) quibus verbis aperte indicat, se quidem omnium peccatorum commoda curare, sed eos primos cura sua indigere, qui maxime aberravissent, quemadmodum iis, qui gravissimis morbis laborant, praesertim auxilio medici opus est. - Pulchrum, naturale atque intellectu facile est etiam exemplum fici, quando jam ramus ejus tener fuerit et folia germinaverint (quod post fructus fit) γινώσκετε ὅτι ἐγγὺς τὸ θέρος. (3) Quodsi Judaei hoc discrimen facere poterant, poterant etiam e notis, quas Dominus iis de sua παρουσίᾳ dederat, efficere τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου adventum prope instare: »ita vos, quando omnia illa videritis, quae vos visuros esse dixi (sect. 15-29) intelligite me in eo esse ut veniam." - Verum quoque et venustum est adagi-

---

(1) *Luc.* XI: 11, 12.
(2) *Matth.* IX: 12.
(3) *Matth.* XXIV: 32.

um, (1) petitum a pueris, quo populo Judaeorum, Pharisaeis et legum peritis stultitiam et pertinaciam ob oculos posuit, quia neque Johannis austeritate, neque Christi lenitate et vita humana atque trita eo redigi potuerint, ut vitam animumque ad rectam rationem revocarent, ut Jesum Messiam faterentur ejusque praecepta sequerentur. Quapropter eos comparat cum παιδαρίοις ἐν ἀγοραῖς καθημένοις, καὶ προσφωνοῦσι τοῖς ἑταίροις αὐτῶν, καὶ λέγουσιν· Ηὐλήσαμεν ὑμῖν, καὶ οὐκ ὠρχήσασθε· ἐθρηνήσαμεν ὑμῖν, καὶ οὐκ ἐκόψασθε. - Sed haec sufficiant! Libenter sane plura etiam exempla, quae cum iis, quae attulimus, venustate, simplicitate, perspicuitate certant, imo ea fortasse superant, adscriberemus; sed brevitatis gratia ablegamus lectores, ad *Marc.* IX: 50; *Luc.* V: 34; VI: 39, 48; IX: 58; X: 3; XVII: 24; XXI: 29; *Joh.* X: 9-14; XI: 9, 10; XII: 24; XVI: 21; *Matth.* IX: 16, 17; XXIII: 27. Imo totum Jesu κήρυγμα iis tanquam intextum est. Quid anxie igitur quaerimus, unde popularitatem discere possimus! Legamus, perscrutemur, ediscamus Jesu orationes, et magnum nostrum Magistrum semper exemplo habeamus. Ab Illo discimus, quomodo formae sermonum nostrorum facilitatem, suavitatem, venustatem afferre possimus, ut eorum vestigia alte et firmiter impressa maneant; - ab Illo discimus, quomodo commode et apte uti possimus rebus, quas vitae quotidianae usus et rerum natura nobis

(1) *Matth.* XI: 16, 17.

praebent; - ab Illo discimus, quomodo persuadendi vim cui resisti non potest verbis nostris addere possimus, animos auditorum attendere jubentes ad omnia, quibus circumdantur. - Unusquisque nostrorum auditorum sic etiam, non minus quam Judaeorum turba in Palaestina tempore Messiae, quotiescumque in vitae veritate sensibus adspicient ea, quae eorum animis depinximus, totum dictorum ambitum statim reminiscetur, neque solum affectus, qui tunc movebantur, maximam partem renovabit, sed etiam tacita meditatione ex auditis sententiis fructus percipiet, qui solum verum divinumque sigillum impriment labori pro coelorum regno suscepto.

IV.

Antequam vero huic de populari Jesu orationum forma paragrapho finem imponamus, pars quaedam magni momenti nobis addenda est. Restat enim, ut dicamus, quomodo Dominus in populari doctrinae suae expositione parabolis usus sit.

Ubi de parabolis loquimur, intelligimus narrationes fictas longiores, elaboratas allegorias, quibus sublimis, auditori utilissima, veritas continetur. Nequaquam tamen Jesu narrationes atque parabolae confundendae sunt cum fabulis, quae dicuntur, et mythis, quasi ejusdem essent generis. Parabola enim medium tenet comparationem inter et fabulam; - amplior est comparatione, quod non arctis istis congruentiae finibus coercetur et dramatice magis

se excolere potest; - angustior vero quam fabula, quod ei extra veritatis fines egredi non licet, sed contra talem imaginem continere debet, qualis nobis vel prorsus vel leviter immutata in rerum natura et vita communi saepius occurrere potest.

Supervacaneum omnino esse opinamur demonstrare Dominum in populari orationum suarum forma crebre et apte parabolis usum esse. Prius ex sequentibus satis superque patebit; apte vero eum id fecisse, post ea quae diximus extra omne dubium positum esse confidimus. (1)

Non omnia afferre possumus, quae in parabolis admirabilia et venusta sunt, neque id facere nobis licet, quoniam non est propositum, peculiarem de iis disputationem conscribere; pro viribus tantum indagare conabimur, quantum ad popularem Christi eloquentiam attulerint. Ne igitur nobis in vitium

---

(1) Egregie Cl. Borger, in *Leerr.* II. p. 98, ed. 6a: „Zou het gebied van onze godsdienstige kennis verwijd en uitgezet worden, dan kon er in der daad geen beter toon getroffen worden, dan die er heerscht in de leerwijs door gelijkenissen. Op eene waardige wijze verzinnelijkt zij het hemelsche in het aardsche, het goddelijke in het menschelijke, en, afkeerig van afgetrokkene en spitsvindige bespiegelingen, hecht zij de groote waarheden van den godsdienst aan de kundigheden van het gewone menschenverstand. Daarvoor zijn wij dank schuldig aan Hem, die sprak zoo als geen mensch heeft gesproken, waardig, dat alle wijsgeeren van alle tijden en natien zich vereenigen, om Hem eenen onverderfelijken lauwer te vlechten, en de kroon op het hoofd te zetten als den grootsten Leeraar van het menschelijk geslacht."

vertatur, si breviter investigaturi sumus, quo consilio et qua ratione Jesus ea docendi forma usus sit.

Non semper unum idemque fuit Christi propositum, quum parabolis usus est; - potissimum duplex erat. Modo enim inserviebant ad dicta Ejus illustranda et comprobanda, modo sententiam aliquam occultabant atque involvebant.

Quod ad prius genus attinet, experientia uniuscujusque testatur, quantum narrationes et similitudines apud pueros hominesque incultos valeant. Num igitur mirum est, Jesum in gratiam indoctorum incultorumque Judaeorum, in rebus externis versantium, coram quibus plurumque dicere solebat, figurata lingua saepissime usum esse, ut vehementius eorum animos commoveret, attentos teneret ac devinceret, suamque doctrinam illustraret et confirmaret? (1) Quid! quod auditori etiam magis exculto

(1) „Wanneer de Heer door gelijkenissen leerde, dan was dit op zich zelf niets vreemds. De vurige Oosterling, bij wien de verbeelding zoo frisch en de dichterlijke inkleeding zijner denkbeelden zoo gebruikelijk is, bediende zich reeds vroeg van een' leervorm, die te gelijker tijd het nadenken opwekken en den smaak bevredigen kon. Profeten als Nathan, wijzen als Salomo, dichters als Jesaïa hadden in dat kleed hunne orakeltaal uitgestort, en ook in de dagen des Heeren bedienden zich de Joodsche Meesters meermalen van dien uitlokkenden trant. Slaan wij echter gade, wat, waarom en hoe Jezus in gelijkenissen leerde, wij verkrijgen stof om het woord: nooit heeft

et erudito acceptae et utiles esse debebant. Sed haec satis plana sunt, neque adeo ampliore disputatione indigent.

Non facile vero est intellectu, quare Dominus parabolis usus fuerit ad velata et obscura regni divini mysteria proponenda. Investigemus autem rationem atque explicemus, cur Jesus pro auditorum captu tam obscure sit locutus.

Responsum reperimus, ex ipsius ore profectum, et a Matthaeo memoriae proditum *Evang.* XIII : 11 et 13: ὅτι ὑμῖν, Apostolus inquit, δέδοται γνῶναι τὰ μυστήρια τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν, ἐκείνοις (1) δὲ (catervis) οὐ δέδοται. Διὰ τοῦτο ἐν παραβολαῖς αὐτοῖς λαλῶ, ὅτι βλέποντες οὐ βλέπουσι, καὶ ἀκούοντες οὐκ ἀκούουσιν, οὐδὲ συνιοῦσι, - quod nempe religionis sensum, ipsis a Deo inditum, exstinguebant; et propter socordiam et contemptum Jesu disciplinae, non videbant neque audiebant, ut audire et videre debebant. (2) Quodsi igitur nonnulli Christum non intelligerent Ejusque verba subinde perverse explicarent illorum potius in-

---

een mensch alzoo gesproken! op hooger toon te herhalen", quae sunt verba doct. v. Oosterzee, *L. v. J.* II. I. p. 356 et 357.

(1) Ἐκεῖνοι a Marco (IV : 11) vocantur ἐκεῖνοι οἱ ἔξω; intelliguntur Judaei reliqui, qui non erant sectatores Christi assidui; sed Ipsius tantum ad tempus auditores, et plerumque curiositate tantum ducti; qui non discendi cupiditate incensi Eum adibant.

(2) Praeclara hujus affati expositio invenitur apud Doct. v. Oosterzee, *L. v. J.* p. T. II. P. I. 358 sqq., qui eodem loco duplex consilium, quod Jesus habuit in dicendo per parabolas, clare exponit.

genii tarditati anim a Deo averso tribuendum videtur, quam consilioque, quo Dominus in loquendo parabolis uteretur; ita ut etiam hoc loco nostra facere possimus Borgeri verba: »non profecto ad obscurandum, sed ad illustrandam suam doctrinam Jesus his involucris usus est."

Neque tamen prorsus immerito quis contenderit, Sospitatorem hac forma veritatem etiam quodammodo involvere voluisse; quod haud exiguam nobis ansam praebebit summam Ejus sapientiam celebrandi. Saepe enim Ei sententiae pronunciandae erant, quae a vulgari opinione abhorrebant, ac nude propositae, multis nocuissent, quoniam inveteratis erroribus et praejudicatis eorum opinionibus adversabantur, atque ita odium, non emendationem peperissent. - Has vero sententias plane reticere neque poterat neque volebat Dominus; aequum enim erat, ut ii, qui, veri bonique studio ducti, bene et assidue Ejus disciplina uterentur, eaque jam quandam cognitionis copiam acquisivissent, - accuratiore notitia de natura ac fatis regni divini imbuerentur. Hanc ob causam tecte atque velo quasi involutas res divinas proponebat, ita ut iis auditoribus, qui secum reputarent, amplum meditationis praeberet campum, imo! eos ad reputandum incitabat adhortatione, qua vulgo arcanae Ejus et obscurae parabolae terminabantur: εἴ τις ἔχει ὦτα ἀκούειν, ἀκουέτω. (1) Quodsi reputamus hanc

(1) Ne nobis vitio vertatur, quod de primaria tantum causa, quare Jesus ita locutus sit, mentionem fecerimus. Inter causas

veritatis obvelationem certo tantum hominum generi accommodatam esse et se ad certos tantum temporis fines extendisse; (1) - omnibus praeterea idoneam amplioris explicationis obtinendae occasionem fuisse eorum, quae obscura relicta essent, non est, quod dubitemus, quin etiam hac in caussa Jesu sapientia celebranda sit.

Sospitator igitur parabolis usus est, ut èt obscurandae èt illustrandae ejus doctrinae inservirent. Hoc eos spectabat auditores, quorum mentis oculi veritati patebant; Illud eos, qui non nisi terrestria cogitabant. Ita Dominus coram socordibus, ab omni μεταφορᾷ alienis Judaeis loquebatur lingua ipsis incognita, quum contra Ejus Apostoli omnesque, qui Eum revera quaerebant, hujus loquendi usus periti, Ejus doctrinam facile sequi poterant, qua in abditissima regni Dei mysteria introducebantur, aut ampliorem explicationem accipere. (2)

---

secundarias afferre etiam potueramus, eas praeterea inservire ad fidem Apostolorum confirmandam, - ne margaritae porcis objicerentur, - ne multorum causam ingravaret, - ut Judaeis stultitiam luculenter ob oculos poneret, - alia. Sed longior digressio ab hoc loco aliena erat.

(1) Cf. *Joh.* XVI: 25 et 29.

(2) Quae porro praeter ea, quae jam dicta sunt, de consilio et pretio populari animadvertenda videntur, ea nos Doct. Amadeus Wiessner (l. l. p. 79) paucis verbis ita docet: „Nicht immer gelten sie eigentlichen Religionslehren, sondern oft auch der Bekämpfung herrschender Laster und Thorheiten (*Luc.* XVIII: 9), oder allgemeiner Irrthümer. Bei vielen ist die Erklärung der Dunkelheiten gleich beigegeben (*Matth.* XII), in allen

Quod ad formam attinet, qua parabolae a se invicem sunt distinctae, nonnullae sunt potius metaphorae vel allegoricae descriptiones, v. c. regnum coelorum semini simile est, - simile est grano sinapis, - simile est fermento, - vel parabola triciti et zizaniorum. Nonnullae contra magis sunt narrationes morales fictae, quo pertinent parabolae divitis ac Lazari, ovis amissae, drachmae amissae, filii perditi, Samaritani misericordis, virginum prudentium ac fatuarum, dispensatoris injusti, Pharisaei ac publicani, aliae. Omnes autem sibi propositum habebant vel ut regnum coeleste adumbraretur, vel ut aliqua virtus vitiumve clare ante oculos poneretur.

His tandem pauca addamus de earum pretio morali atque aesthetico, ut hanc docendi rationem magis etiam admiremur. Excellunt enim aptis, gravibus, acutis metaphoris, praesertim illae parabolae, quae ad Jesu aequalium mores pertinent. Pharisaeus, levis Judaeus, necessario oculos ad se ipsum convertere debebat, animumque cogitatio subire: de me fabula narrat! Potestne officium misericordiae et humanitatis apertius et praeclarius exponi, quam qua ratione Jesus id fecit in similitudine misericordis Samaritani? Potestne Dei erga

---

zeigt sich ein tiefer Blick, eine genaue Kenntniss des Menschen, feiner Geschmack und ein veredeltes Gefühl des Schönen, verbunden mit einer sorglichen Strenge, die weder zu viel noch zu wenig giebt. Bei der in ihnen herrschenden Verständlichkeit und Popularität ist alles Platte, Unedle und Gemeine dennoch vermieden."

peccantes amor majore vi, aptiore ad animos commovendos et percellendos modo praedicari, quam in parabola de perdito filio? Num incuria et animi levitas clarius notari potest et vox ad vigilantiam exhortans altius resonare, quam in misera virginum fatuarum conditione et beata prudentium conscientia, prouti hoc in Jesu parabola invenitur? At ea mittamus, periculum enim est, ne terminos, quos nobis posuimus longe transeamus, ubi propositum nobis erat, de earum pretio aesthetico et forma nonnulla tantum in medio proferre. Breviter igitur naturalem atque gravem colorem descriptionis, diligentiam atque pulchritudinem dictionis, veritatem atque subtilitatem dispositionis uno quasi intuitu contemplemur.

Quod ad postremum attinet, laudamus triplicem characteris descriptionem, obviam in parabola de perdito filio. (1) Pater familias, senex, pius, diligens, - filius major natu, placida, tristi fere indole, - minor natu ardens et audax, patris deliciae, mobilis, levis et amans libertatis. - Praeclare tres istae indoles per totam narrationem servantur et ad finem usque admirabili aequalitate elaborantur. Vel in minimis lineamentis secundum naturam et magna cum vi sunt depicti: amans et paternus animus senis, qui

(1) Cff. de hacce Parabola Cl. J. M. Schrantii multis nominibus praeclarae Orationes, Lugd. Bat. 1849; et de aesthetico parabolarum pretio: Krummacher: *Geist und Form der Evang. Geschichte*, p. 405, et Hartmann: *Leben Jesu* I. p. 204.

nihil vult audire, nihil sentire, nihil eloqui, nisi summum gaudium, quo ob reducem filium afficitur; - porro filius, errore abductus, qui experientia ad sanam mentem reductus, omnem falsum pudorem abjicit et ad patris pedes provolvitur, lacrimas fundens, poenitentiae plenus, veniam peccatorum orans; - et major tandem filius! Agnoscite morosum, sordidum, quum unum e servis vocat, invidus ubi rogat, quid iste cantus significet, - agnoscite eum e negligentia miseri fratris, ex iracundia ob epulas, quas pater prodigo isti juveni parabat, e manifesto contemptu, quo erga eum erat, e mordaci opprobrio bono seni objecto: erat homo invidiae plenus, sui amans, qui omnia ad calculos revocat. Eandem hancce indolem, quae in utroque erat fratre, haud semel in vita reperimus neque vel in minimis lineamentis natura se aliterostendit quam hîc. Vere magnus noster Palmius affirmat, hanc parabolam et pulchritudine fictionis et descriptione morum, stilo, expositione exemplar esse eloquentiae, cujus frustra simile quaeras, attamen non dubitamus, etiam aliis parem praestantiam naturalis et fortis colorum commixtionis tribuere. Monemus propterea tantum de divitis et Lazari parabola. Legite v. c. exordium: quanta simplicitas, quam egregia descriptio, ubi Jesus dicit: (1) ἄνθρωπος δέ τις ἦν πλούσιος, καὶ ἐνεδιδύσκετο πορφύραν καὶ βύσσον, εὐφραινόμενος καθ' ἡμέραν λαμπρῶς, - his opponit Christus πτωχόν τινα ὀνό-

(1) *Luc.* XVI: 19sq.

ματι Λάζαρος; ὃς ἐβέβλητο πρὸς τὸν πυλῶνα αὐτοῦ ἡλκωμένος. Ab altera parte luxuries, profusio, victus abundans, - ab altera vero summa indigentia, abjecta egestas, corporis dolores, miseria vitae, misericordia ipsa animalia movens. Ille moritur et legimus eum sepeliri; etiam alter diem obit supremum, sed nulla pompa funebris ei obtingit. At quanta fortunae commutatio, quando admiratione capti et penitus commoti tabulam aversam contemplamur. Pauper ab angelis in sinum Abrahami abducitur, dum dives ad infernum, inque flamma vehementissimis tormentis cruciatus, misericordiam orat; - frustra! Pauper Abrahami familiaritate gaudet summaque Paradisi fruitur beatitudine, dum dives plorat et lamentatur.

Haec satis sint, quod ad naturalitatem, colorum et descriptionis splendorem, veritatem, diligentiam, dictionis pulchritudinem attinet. Si vero quis putet nos tantum de rudioribus lineamentis Jesu parabolarum egisse, libenter eum sequemur vel in minutissimas particulas et subtilissimas variationes Ejus narrationum. Cogitemus modo de micis, quae de mensa divitis decidebant, - de canibus, qui uno cum Lazaro reliquiis epularum vescebantur, ejusque ulcera lingebant, - de aquae guttis, quas ab extremis Lazari digitis, ad ejus linguam refrigendam defluentes petebat. (1) - Reputemus modo verba, quae dispensator secum loquens, culpae sibi conscius et remedium quaerens medita-

(1) *Luc.* XVI: 21 et 24.

tur. (1) - Reputemus desperatam dementium virginum deliberationem, sponso adveniente, et prudens consilium a quinque sapientibus fatuis datum. (2) Reputemus brevem sed pulchre descriptam parabolam iniqui judicis et pauperis viduae. (3) - Quantam vero materiae copiam parabolae perditi filii, satoris et seminis, extremi judicii nobis praeberent! Quid multa? - Parabolae eloquentissimi nostri Servatoris etiam tanquam compositiones tam egregiae et perfectae sunt, ut libentissime earum laudes praedicaremus, si non metu retineremur, ne nostra laudatio inferior esset iis, quas multi ante nos jam instituerunt. Quicunque omnia pulchra, quae e parabolis peti possunt, in unum referre vellet, - is infinitum opus aggrederetur.

---

(1) *Luc.* XVI : 3. Cff. inprimis, quae de hac parabola animadvertit B. van Willes in opere quod inscribitur *Uitlegk. Bijdragen*, Part. I. p. 98-106. Inter alia: „Meesterlijk," inquit, „is hier de teekening van den Rentmeester, die zich uit zijne ongelegenheid zocht te redden. Het afgebrokene zijner woorden doet 's mans schuld dubbel gevoelen. Ook dit dient op het oog gehouden te worden. Hij zegt dit, maar bij zich zelven; zoo blijft de schuld bedekt, waar bekendheid hem nadeel kan berokkenen. Treffend is ook de teekening van de uitkomst, welke Hij ziet. Hij heeft iets gevonden, maar zegt niet wat; voor armoede is Hij bewaard. Dit is het, wat zijne geheele ziel vervult; zijne schuld ontveinst hij voor zich zelven niet, maar verklaart niet wat hij voorheeft; zelfs dat hij zich thands minder van zijn plan durft beloven, dan hem bij de uitkomst geworden is, pleit zeer voor de meesterlijke teekening des Heeren."

(2) *Matth.* XXV : 8, 9.

(3) *Luc.* XVIII : 1-8.

quoniam singulis contemplationibus nova pulchra inveniret. Sed quidquid inveniet, ne unam quidem reperiet, quin sibi summam popularis atque gravissimae eloquentiae laudem merito vindicare possit. (1)

§ 3.

Quatenus haec forma oratori sacro sit imitanda?

Etiamsi quis partim tantum Theremini (2) verba »der Character des rhetorischen Vortrags ist höchste Popularität" sua faciat, tamen magni esse momenti quaestionem, quatenus oratori sacro in dicendo forma popularis sit observanda, agnoscat necesse est. Sed majoris etiam ponderis quaestio est, si absolutum, ex ipsa Domini eloquentia petitum, responsum

---

(1) Praeter scriptores, a doct. v. Oosterzee citatos ubi de Parabolis agit, cff. etiam: Pfenninger, *über die Popularität im Predigen*, Tom. III, cujus pars extrema agit: *über die Parabelen Jesu und ihre Nachahmung im Predigen*; Herder, *Brieven over de beoefening der Godgeleerdheid*; Hesz, *Leven van Jezus*; idem: *Leer, daden en lotgevallen van Jezus*, bl. 58; J. M. Sailer, *Pastoraltheologie*; inprimis A. T. Unger, *de Parabolarum Jesu natura, interpretatione, usu scholae exegeticae, rhetoricae*, 8°. maj. 1828; *Dissertat. hermeneut. de Parabolis Christi. Praes.* G. Chr. Storr, *defens. a* Fleischmanno, Brodtbekkero etc. Ewaldus: *Jezus' menschenkennis*; Eyler, *homilien over de gelijkenissen van Christus*; Getterman, *over de Parabelen*; G. A. van Limburg Brouwer *de parabolis J. C.* L. B. 1825 alii.

(2) In libello: *Bereds. eine Tug.* p. 58.

dare volumus, idque oratori sacro saec. XIX[i] tanquam praeceptum commendare debemus. Conemur igitur, quantum vires nostrae valeant.

Quod in examinanda Jesu popularitate, in Ejus orationum forma conspicua, primum nos movit, hoc erat quod ipse verborum suorum erat interpres, si quando obscuriora esse viderentur; vel quod ea parva quadam immutatione iterabat, ubi se non recte intellectum esse videbat. - Quod ab oratore sacro quoque fieri potest, licet orationes suas prius domi elaboret atque scripto mandet; certe fundamentum ipsum, quo res nititur, haud negligendum est; ejus autem fundamenti haec est vis: ut quantum ejus fieri possit perspicuitatis ratio habeatur.

Jam enim in superioribus a Magistro nostro didicimus, oratori sacro, qui auditoribus suis satisfacere velit, materiam eligendam esse, quae ejus intellectum non superet et unde argumenta peti possint, quae ansam dent ad res et sententias tractandas, illis utiles atque magni momenti. Porro ab oratore sacro petimus, ut ejus orationes se non solum puro et logico ordine commendent, sed etiam tali dispositione, quae auditorum intellectui accommodata sit. (1) Quae dispositio si facilis est et elegans magnum conducit ad orationis perspicuitatem augendam. Ne nimis, ne parum! Singulaque eo collocentur loco, ubi maximam habent vim ad praepa-

(1) Cff. Reinhard: *Iets over mijne Leerredenen en vorming tot Prediker*, p. 155; Fénelon, l. l. p. 187 et Schrantii annotatio ad h. l.

randum, illustrandum, confirmandum, adhortandum, (1) Enarratio ut sit distincta atque intellectu facilis curat; quo accuratius oratio evolvitur, eo magis ostendit se numeris omnibus sic esse absolutam, ut ex uno loco omnes ejus partes conspici possint, quae una conjunctae unitatis, proportionis atque convenientiae speciei respondent. Orator sacer distincte cogitet et recte judicet, tum etiam clare dicet, - nullae turpes deformitates, nullae inaequalitates, quantumvis pulcherrime exornatae, ei placebunt. Saepe, imo plerumque recta ad scopum pergere debet via, omnes vitans ambages. Quodsi has ingreditur, ne id faciat inanis delectationis causa, sed ut facilius difficultates tollat. Suadendum propterea nobis videtur, ut statim argumentum, de quo dicturus est, indicet. Ex ea sententia primaria omnes, quas affert, causae, demonstrationes, argumenta, admonitiones oriantur, - cum ea haec omnia ita copulari decet, ut quisque facile sentiat ad illam omnia referri. Hoc tamen non impedit, quominus orationem suam variet, in partes dividat, alio loco magis digressionibus indulgeat, alibi orationem arctius circumscribat; omnia vero fiant pro argumenti ratione. Omnes partes argumenti illius quasi enodatio sint; ramo-

---

(1) Cf. Horatius in *Ep. ad Pis.* vss. 42, 43 et 44. Idem Boilavius (*l'Art Poétique, Chant I.*):

„Il faut que chaque chose y soit mise en son lieu;
Que le début, la fin, répondent au milieu;
Que d'un art délicat les pièces assorties.
N'y forment qu'un seul tout de diverses parties."

rum instar procerae arboris, qui diversi omnino sunt magnitudine et amplitudine, sed omnes ex eadem stirpe nascuntur. (1) Tum demum excellet claro ac perspicuo ordine et distincta expositione, quemadmodum oratorem popularem decet.

Vidimus deinde, quam graviter Jesu breviter et acute dicta, sentensiosa proverbia et adagia, exempla et comparationes, e natura, e vita sociali et domestica petita, audientes moverent. - En igitur novum praeceptum Oratori sacro observandum! Pro certo enim haberi potest, homines, indolis atque ingenii ratione habita, non alios esse hodie, atque tempore quo Dominus doctrinam suam tradidit. Magnopere procul dubio haec dicendi forma orientalibus placuit, neque minus nobis arridet. Exempla, quibus Jesus usus est, acres aculeos in Pharisaei superbi vel pauperis Judaei animo relinquebant, sed saeculi etiam XIX^{i} oratorem sacrum saepissime se auditoribus suis adaequare decet, si ex Evangelica denuntiatione uberes fructus exspectare velit.

Prudenter tamen et cum judicio hac in re versetur! Brevitate et perspicuitate plerumque et acute dictis opus est, quo is, qui minus eruditus est, audita facilius memoria retineat, alterumque melius ab altero distinguat; caveat vero Orator sacer ne elocutio incerta et obscura sit et veritas retorqueatur. (2) - Sententiae

---

(1) Cf. Reinhard: *Iets over mijne Leerredenen en vorming tot Prediker* bl. 166 sqq.

(2) Conf. Tichler, *over Borger's kanselwelsprekendheid*, bl. 21-25.

et proverbia magnae interdum utilitatis esse possunt, sed parce omnino iis utendum est, et maxime cavendum, ne contra elegantiae praecepta peccetur. Hac in re maxime Christi vestigia presse sequi oportet.

Tandem exempla et comparationes, ipsius Christi exemplo ductus, Orator sacer petat ex orbe, in quo socii ipsius coetûs vivunt et versantur, ex iis, quae circum se videre solent et sentire, ex iis, quae experti sunt vel etiam nunc experiuntur. Si forte res graviores apud eos ipsos vel in eorum vicinitate acciderint, eas adhibeat, ad gravem veritatem docendam vel ad noxium errorem oppugnandum.

Quid vero dicemus de praeclaris illis et sententiosis Servatoris nostri parabolis? Quid de allegoricis narrationibus? Quarum profecto utilitas non minus valet in patria nostra, quam in Orientis regionibus. Homini quasi inditum est; quisquis est vel ubicunque versatur, imo ei necessarium est omnia, quae mente tantum comprehendi possunt, sub corporea imagine ad oculos referre. Quis enim non observavit, sive in se ipso, seu in aliis, quantae utilitatis apta similitudo esse possit? Ea non tantum praejudicatas opiniones facillime evellit et veritatem luce clarius ostendit, sed ubi praecepta, exhortationes, admonitiones, consolationes alia forma proponuntur, saepissime tantum audiuntur, ut mox ex animo excidant. Hanc ob causam eloquentiae sacrae sanctum officium est, ut ne sententiis abstractis doceat, moneat, consoletur, sed ut eas veste amiciat, quae maxime apta sit ad phantasiam excitandam ipsaque dicta firmius in animo

imprimenda. Christi enim exemplum documento est, comparationes, exempla, parabolas formas esse spectatae virtutis atque verae popularitatis.

Hoc loco in singulis partibus indicare non possumus, quatenus in adhibendis parabolis Jesum imitari liceat. (1) Ejusmodi elaboratis narrationibus, quales in Domini orationibus exstant, non semper locus est. Res qaae cum Jesu denuntiatione junctae erant, plane diversae sunt ab iis, quae nos circumdant. Raro sermonem habebat elaboratum, quod hodie a quodam oratore Evangelico postulatur. Interim haec illave veritas illustrari potest ac debet lingua figurata, et quod gravius est, saepe uti possumus metaphoris et imaginibus, quales e. g. *Joh.* IX: 4, Sospitatoris

(1) Quaestionem nobis posuimus, num Servatoris nostri exemplo etiam Evangelii nuncio liceret, veritatem vel parabolis, vel lingua figurata, vel allegoricis narrationibus involvere. Quae quaestio partim neganda, partim affirmanda videtur. Summo enim jure secundum nostram opinionem a prudenti verbi divini ministro peti et exspectari potest, ut clare suam mentem exponat, nisi revera περιστάσεις majoris momenti ei concedunt vel potius jubent hac ratione veritatem involvere; in sublimi v. c. vel poëtico stilo, ubi verbis propriis utens minus recte intelligeretur, vel quando debiles spiritu planiorem expositionem moleste ferre possent, - quando ridendi cupiditas, vel odium vel inimicitia eo moverentur, - quando magis accurata explicatio lapsu temporis melius intelligeretur vel probaretur. Sed nequaquam ei est concedendum, ut sine urgente necessitate, alio modo sententiam suam exprimat, atque intelligi voluit, et ut data opera atque ex arbitrio aliquid obscurum reddat mira et aenigmatica forma proponendo. Neque Christus ejusmodi quid fecit.

dicta distinguunt, quibus comparat vitam, qua est brevitate, cum uno die, mortem cum nocte adveniente et opprimente, dicens: ἐμὲ δεῖ ἐργάζεσθαι τὰ ἔργα τοῦ πέμψαντός με, ἕως ἡμέρα ἐστίν· ἔρχεται νὺξ, ὅτε οὐδεὶς δύναται ἐργάζεσθαι. - Sed de ejusmodi figuratis translatisque verbis et sententiis infra paulo agemus.

Jesu eloquentiae notam atque ingenium popularitatem supra diximus. Quapropter hocce caput terminare nolumus, antequam nonulla de vi et momento boni atque elegantis stili attulerimus, idque potissimum ad stilum popularem retulerimus.

In superioribus indicare conati sumus, arctum et indissolubile vinculum esse debere inter cogitationum seriem eorumque connexum et elocutionem; - absolutam convenientiam esse oportere inter argumenti, quod sibi orator elegerit, dispositionem, inter rationem, qua id considerat, inter consilium quo id proponit et modum, quo id tractat atque exornat. Quodsi haec nostra dicta firmis nituntur argumentis, atque Cicero vere dixerit, eum demum esse eloquentem, qui èt humilia subtiliter, èt magna graviter, èt mediocria temperate possit dicere, - quodsi pater ecclesiae Augustinus jure praeceperit, Evangelii nuncio utendum esse stilo humili, ubi doceat, temperato ubi laudet vel vituperet, grandi, ubi ad colendam aliquam virtutem ejusmodi homines excitare velit, qui ab ea alieni sint, eique omnes eloquentiae vires adhibendas esse ad animos repugnantium Evangelio sub-

jiciendos, - merito stilum unam e primariis eloquentiae sacrae virtutibus esse dicimus. (1)

Attamen tempus fuit, quo res longe aliter considerabatur: putabant enim eum, qui penitus argumento suo imbutus esset, nequaquam tam accurate formam animadvertere posse, et oratorem, qui in stilo magnam consumeret operam, eo ostendere, se minus utilitatem curare, quam auditorum approbationem. Sed contra rogare possumus, num alia sit ratio qua argumentum auditoribus fiat planum et apertum, atque ipsa talis in forma externa optime elaboranda cura. (2) Nonne ad refutandam eam sententiam, Demosthenis, Ciceronis aliorumque oratorum posterioris etiam aetatis exempla afferre possumus, quibus profecto tale quid objici non possit? Ita autem sententia gravi errori ansam praebuit. Incidebant Oratores sacri in incuriam ac negligentiam, et data opera locutionibus, vocabulis, dialecto utebantur, quae apud partem societatis minus excultam, in vita quotidiana in usu sunt. (3) Christi vero Exemplum nos docet,

---

(1) Cum vener. v. Herwerden (in libello laudato de Or. Montana p. 19) lubenter ideo dicimus: „Hoe men het begrip van Welsprekendheid ook bepalen moge, hierin komen alle Kunstregters overeen, dat zonder een' goeden stijl, geen Redenaar welsprekend is."

(2) Cf. pulcherrima animadversio doct. Abm. des Amorie v. d. Hoeven Jr. in opere *Proza en Poëzy* p. 36 et 37.

(3) „Er zijn sommigen," „merito vener. Voorhoeve inquit, „die de vormen veronachtzamen, en zich weinig of niet over de wijze der prediking bekommeren; ja er zijn menschen,

Evangelii nuncio omnia, quae inculta et impolita sint, in dictione quoque esse vitanda, et potius elegantia quâdam verborum aliquid afferendum esse ad auditorum animos excolendos. Hisce verbis non solum laudare volumus Boilavii praeceptum, dicentis:

»la plus noble pensée,

»Ne peut plaire à l'esprit, quand l'oreille est blessée;

sed imprimis indicare oratori nunquam esse obliviscendum, quo loco, quid, quo consilio et cujus nomine loquatur. Christi legatus, ad verba vitae aeternae denuncianda vocatus, popularis esse debet, a verbis vero incultis abjectisque abstineat; - sermonem, quem a populo accepit, populo excultum et purum reddere debet. (1)

»Est etiam", Quinctilianus inquit, »in quibusdam turba inanium verborum, qui, dum communem loquendi morem reformidant, ducti specie nitoris, circumeunt omnia copiosa loquacitate, quae dicere nolunt: ipsam deinde illam seriem cum alia simili jun-

---

die in 't ruwe, plompe, onbehagelijke, in het triviale, platte, gemeene, in wat het schoonheidsgevoel van anderen beleedigt, en kwetst, een kenmerk der ware regtzinnigheid zien. Zonderling, vreemd kenmerk! Neen, een slordige vorm mag nooit eene aanbeveling voor de waarheid worden. De waarheid is verheven en goddelijk, liefelijk en schoon, en eischt met het volste regt een haar passend en voegzaam kleed." *Het beeld van Molster* bl. 33. Cff. et Heringa, *kerk. Raadv.* l. l.

(1) Digna sunt, quae ad hunc locum comferantur verba clar. des Amorie v. d. Hoeven, in aureo libello: *Joannes Chrysostomus* rell. p. 51 supra.

gentes miscentesque, ultra quam ullus spiritus durare possit, extendunt". (1) - Fuerunt igitur, qui alterum vitantes vitium in contraria inciderint. - Hoc vitium Quinctilianus non novum vocare potuit, quum jam apud Titum Livium invenisset; et nostris temporibus tumidum et inflatum dicendi genus ad vitia oratoris maxime communia pertinet. (2). Praeterea nihil est, quod a popularitate magis sit alienum, quam inanis iste verborum nitor, quaesita sublimitas, inflata dicta, sesquipedalia verba, mirae comparationes, innumerae antitheses, tumidae metaphorae, splendidae descriptiones, quibus oratio tanquam tunica picta exornatur. Est cantus suaviter sonans, sed qui auditores sopit; - aenigma auditori minus erudito, ut recte dicit la Bruyère. (3) Pulcherrimae sententiae tolluntur, quum omnia aeque ornate, eleganter, exquisite dicuntur, singulaeque periodi rotundae dicta exquisita sunt et polita.

Est igitur sacri oratoris operam dare, ut dicat non quae splendeant et plausum moveant, sed quae salutaria sint ac utilia. Hinc laudem sibi quaerat, argumentum quam diligentissime examinet atque auditoribus planum clarumque faciat. Ne sectetur, ab hominibus celebrari, salutem vero iis afferre quaerat

---

(1) *Instit. Orat.* Lib. VIII : C. 2 § 17.

(2) Causae, unde hoc vitium maxime ortum sit, rectissime expositae sunt a viro clar. Heringa, in *kerkel. Raadvr. en Raadgev.* T. III. P. II. p. 69 sqq.

(3) *Caractères de la Chaire.*

eosque religionis sensu imbuere. Ita hominibus probabitur; quod si ei non contingit, Deo probabitur Christoque quod verbi divini ministro unice propositum esse debet. - Denique Christi κήρυγμα consulat. Quam planum et suave est omnibus! Quam perspicuum imperitae turbae! Quam efficax ad commovendos animos! Quam facile quod memoria teneatur! Has igitur ob caussas omnium locorum, omnium temporum, omnium hominum orator fuit vere popularis. Illam igitur quisque crucis legatus indefesso labore ac pio animo imitatur!

Christus nobis viam indicavit; nos Eum sequi oportet, quamvis id non nisi titubantibus gradibus facere possimus. - Forma igitur orationis sacrae clara sit et simplex; vividae sententiarumque plenae sint imagines, lucida descriptio; - quidquid continet animatum sit, lucis et vitae plenum; dilucida sit argumentatio, facilis intellectu expositio, aperta et perspicua refutatio, exemplis e vita quotidiana audientium vel e natura petitis illustrata, - ex auditorum experientia confirmata, - comparationibus hominibus vel minime excultis plana, enucleatis sententiis et translatis proverbiis, quae animi attentionem excitent illuminata. Tandem color descriptionis sit naturalis et fortis, - distinctus et accuratus vel in minimis partibus narrationum, - verus et animos movens vel in minutissimis picturae adumbrationibus. Haec est forma, haec est expositio, quae omnibus probatur, quae multitudinem capit et movet, - haec vera nota est, hae primariae sunt virtutes eloquen-

tiae popularis, pulcherrimo Domini exemplo nobis propositae. (1)

---

(1) Cff. ad h. l. Marezoll, l. l. p. 153-158; Heringa, *kerk. Rvr. en Rg.* III. I. p. 9, 10 et 11; III. II. p. 62 sqq. et scriptores ab eo laudati, inter quos Broes merito primus nominatur; - Spalding, *Nuttigh. v. h. Predikambt*, p. 219-224, inprimis attendendum ad ea, quae p. 222 et 223 dicta sunt; Fénelon, *Gesprekken* rell. p. 73 et Schrantii annot. 31: idem, p. 103-106 et Schr. annot. 43; - porro clar. des Amorie v. d. Hoeven: *Joannes Chrysostomus* p. 51 sqq.; Theremin, *Bereds. eine Tugend* p. 156-158 et van Oordt, *Oratio de Eloq. s. natura* p. 18 et 19; caett. — Non minus acute quam pulchre dixit Harmsius, l. l.: „Eckig, scharf, spitz wird die Sprache seyn, Spiessen und Nägeln gleich, wie so die Meister in den Versammlungen schrieben. Pred. Salom. am Ende. Denn die glatten Steine liegen am Bach, da sie auch David auflass, wo sie durch langes Gerölle uber einander hin sich abgeglättet haben, die undsprünglich eckigen, scharfen, spitzen." Quae verba partim lubenter nostra facimus; quapropter statim iis locum Theremini, prioris verba corrigentis, addimus, ubi: „Eine solche Reden," inquit, „soll uns sehr willkommen seyn, doch die glatte wollen wir darum nicht schelten. War es doch ein glatter Stein, womit David den Goliath erslug: so könnte auch eine Reihe wollgeglätter Perioden also geschleudert werden, wenn Gott seinen Beistand verleiht, dass der getroffene Unglaube erliegen muss."

CAPUT ALTERUM.

DE BIBLICA EXPONENDI AC DICENDI RATIONE.

§ 1.

De biblica Jesu orationum forma.

Examine de populari Jesu orationum forma absoluto, Ejus eloquentiae praestantiam summumque imitationis momentum satis demonstratum esse existimare licet, quoniam haec praecipua est pars, cujus imitatio oratori sacro commendanda esse videtur; et - quod majus est - quoniam reliquae omnes iis fere continentur. Ceterae tamen notae non praetermittendae sunt, quamquam magis ad dictionem sive λέξιν Jesu orationum pertinent, quam ad sententiarum dispositionem. Has igitur notas etiam breviter indagabimus, eo potissimum consilio, ut praecepta quae èt Homiletica èt Rhetorica magna quasi voce nos

docent, sed quae olim vulgo negligebantur, Jesu exemplo vehementer commendemus. - Haud dubitamus quin multa oratori sacro perquam utilia praecepta in Christi sermonibus reperiamus.

Saepius et variis modis Dominus veteris Foederis scriptis usus est. (1) Ad quod probandum pauca exempla afferemus ex ingenti, quae adest, copia, ubi Jesus vel secundum locum biblicum loquitur, eum simpliciter e V. T. affert et ad ejusmodi res refert, quales maxime significari videntur; - vèl ubi auditores remittit ad ipsa Mosis Prophetarumque verba, effata, vaticinia, proverbia vel incitamenta, iisque suas firmat sententias, opiniones et praecepta; - vèl ubi respicit facta, in libris ss. memorata, personas, certissimam prophetarum auctoritatem et sanctorum virorum agendi rationem; - vèl ubi sive ad verum probandum, sive ad errorem refutandum, sive ad aliquem pudore perfundendum, sive ad minandum, exemplum meliorum, qui in verbo divino memorantur, digito monstrat, - vèl ubi sermonem figuratum biblicum et translata verba usurpat, ut orationes suas, quae forma populari se jam commendabant, diciludiores atque planiores faciat, vel iis biblica forma majorem vim atque gratiam conciliet.

Ut autem in disquisitione nostra ordine procedamus, primum probabimus, Dominum, quum interdum secundum biblicum locum orationem haberet, eo

(1) Cf. Amadeus Wiesner, *Geschichte der Christl.-kirchl. Bereds.* T. I. p. 73.

fundamento insistere, quo ipse locus, secundum quem diceret, niteretur, ad doctrinam V. T. explicandam et amplificandam; - porro indicabimus quomodo eo manu ductus ad doctrinam de regno divino adscenderet, et vaticinia impleta esse annuntiaret; - tandem ostendemus, quomodo ejusmodi sacrorum librorum partem intuens, admonitiones, exhortationes, consolationes, verbo: quamcunque dicta illa loquendi opportunitatem praebebant, in auditorum usum converteret.

In Lucae Evangelio notabile offendimus exemplum (1) eo loco, quo de prima Jesu denunciatione Nazarethi habita secundum Jesaiae LXI: 1 et 2. mentio fit. Σήμερον πεπλήρωται ἡ γραφὴ αὕτη ἐν τοῖς ὠσὶν ὑμῶν, sic Dominus incipit, ut Dei legatus, qui laetum salutis nuntium affert. Tum pergit in sermone, cujus secundum recitata verba argumentum erat: ἐνιαυτὸς Κυρίου δεκτὸς; vel tempus beneplaciti divini, quod jam adesse annuntiabat, et quo revera impletam esse scripturam docebat. Et quum orationi suae finem imposuisset, πάντες ἐμαρτύρουν αὐτῷ, καὶ ἐθαύμαζον ἐπὶ τοῖς λόγοις τῆς χάριτος, τοῖς ἐκπορευομένοις ἐκ τοῦ στόματος αὐτοῦ. Eo igitur modo secundum Jesaiae vaticinium dicebat, ut cuncti Eum praeclarum doctorem celebrarent Ejusque eloquentiam admirarentur. Dolendum sane est quod fructus non tulerit haec Jesu ad populum oratio; nam propter opiniones praejudicatas Nazarethani impediebantur

(1) C. IV: 16 sqq.

quominus divina Ejus verba acciperent. (1) - Alium locum afferre juvat, ubi Jesus praecepta moralia V. T. purgat sordibus falsae doctrinae, quibus a Judaeis legum peritis inquinata erant, eaque non solum in clarissimam lucem reponit, sed eorum etiam sensum et notionem planius explicat, atque sublimiorem et magis spiritualem observationem eorum praeceptorum commendat. (2) Postquam dixit, se non venisse ut leges et Prophetas solveret, sed ut eos impleret, Pharisaeis atque legum peritis mutilationem legis Mosaicae objicit, suumque ὑμῖν δὲ λέγω ἐγὼ scripta enervantibus additamentis vel explicationibus atque animum perdentibus praescriptis istorum doctorum Judaeorum opponit. Deinde a sectione 21 usque ad 48 cap. V. Evangelii Matthaei hanc suam objectionem nonnullis exemplis firmat, statimque addit, quomodo secundum Dei voluntatem legem implere deberent e mente N. T.; non vero quemadmodum scriptorum periti ac legum interpretes docebant.

---

(1) Legatur inprimis pulcherrima hujus narrationis expositio apud Doct. v. Oosterzee, *L. v. J.* T. II. P. I. p. 116 sqq. Ejus praeterea praestantissimam de h. l. orationem memorare, vix opus est.

(2) „Jüdischen Rabbinen," merito inquit Wiessner, l. l. p. 74, „ersehien das Ganze der merkwürdigen Erzählungen und Verkündigungen des A. T. immer nur als eine Geschichte der Göttlichen Fürsorge für das Israëlitische Volk; in einem weitern, umfassendern Sinne erklärte Jesus die alten Aussprüche und Gesetze, indem er dieselben richtiger deutete und geistvoll ergänzte und in ihrer Anwendbarkeit auf alle Zeiten darstellte."

Illi enim propter circumscriptiones, amplificationes vel restrictiones suo arbitratu institutas, summo jure accusari poterant, quod legem et Prophetas solverent, h. e. Dei praeceptum suis edictis et additamentis violarent.

Eodem modo Jesus etiam interpretatur et amplificat praeceptum amoris et reconciliationis secundum S. Codicis effatum, a superioribus doctoribus male propositum. Sic etiam praeceptum Mosaicum implebat, ubi effatum: οὐ μοιχεύσεις (1) non solum ad divortium extendebat, (2) sed ejus principium etiam, pravam cupidinem, utpote hujus mali fontem in idem praeceptum recepit et in utrumque crimen magna cum vi invectus est. (3)

Eadem ratione egit Dominus, de iis loquens, quae statuebant de jurejurando, de jure talionis, de φιλεχθρίᾳ. Secundum haec praecepta omnibus tam clare exponit, quae iis continebantur, cum tanta vi iis viam indicat, quam ingredi debebant ad haec verba observanda, ac talia affert incitamenta ad iis persuadendum, qualia plane Dei sacrorumque librorum naturae congruerent. Et tandem probat V. T. jussum קְדֹשִׁים תִּהְיוּ כִּי קָדוֹשׁ אֲנִי (4) effato, quod omnia praecepta ab Eo data complectebatur atque illi V. T. praecepto majorem addebat vim: ἔσεσθε οὖν ὑμεῖς τέλειοι, ὥσπερ ὁ πατὴρ ὑμῶν ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς

(1) *Exod.* XX : 14.
(2) *Deuter.* XXIV : 1.
(3) Conferatur ad h. l. praeterea *Matth.* XIX : 3sqq.
(4) *Levit.* XI : 44, XIX : 2.

τέλειός ἐστι. (1) Sic Jesus ostendebat, se sacros V. T. libros recte intelligere eorumque vim plane capere; sic praebebat luculentissimum testimonium, Mosis ac Prophetarum auctoritatem etiam apud se plurimum valere, eorumque praecepta ex animo esse obsequenda. Ita cognoscimus Christum tanquam Dei legatum, qui in Patris divini honorem et ad auditorum errantium salutem, V. T. scriptis in orationibus suis recte usus est.

Negari non potest supervacaneum esse digito monstrare, Jesum interdum in dicendo locos e V. T. depromtos, ad verbum fere retulisse. Parce tamen, non nimis abundanter, apto loco et tempore eos orationibus suis inserebat, - sive ad comprobandas sententias a se prolatas, - sive ad objectiones Pharisaeorum refellendas, qui omnia, quae e divinis, quos tanto animi studio prosequebantur, libris petita erant, etiam in ore odiosi Nazarethani tanquam venerandam veritatem agnoscere debebant, - sive ut verbis suis majorem vim ac perspicuitatem conciliaret, eaque plebi magis accepta redderet. Ad quod efficiendum etiam conducebant exempla, comparationes, vel imagines e V. T. petitae, quibus tanta copia Eum usum esse videmus. -

Profecto! non venerat Christus, ut legem ac Prophetas dissolveret, sed ut eos impleret, animam vitamque iis adderet, eorum puris effatis lucem afferret, eaque nova vi Evangelica et sublimiore sensu confirmaret

---

(1) *Matth.* V : 48.

ac perficeret. - Innumeros locos afferre possimus ad ea quae diximus probanda, ubi dicit: γέγραπται, (1) - vel interrogat: οὐκ ἀνέγνωτε τὸ ῥηθὲν ὑμῖν ὑπο τοῦ Θεοῦ; (2) - vel οὐδέποτε ἀνέγνωτε ἐν ταῖς γραφαῖς; (3) - vel πῶς οὖν Δαβὶδ ἐν πνεύματι Κύριον αὐτὸν καλεῖ; (4) - Quum Ejus sermones leviter modo inspicimus, reperimus Eum plurimis locis auditores ad fontes antiquissimos Patefactionis divinae remittentem, v. c.: ἵνα ἡ γραφὴ πληρωθῇ, (5) - ἵνα πληρωθῇ ὁ λόγος ὁ γεγραμμένος ἐν τῷ νόμῳ αὐτῶν, (6) - καὶ ἀναπληροῦται ἐπ' αὐτοῖς ἡ προφητεία Ἡσαΐου, (7) - τὸ ῥηθὲν διὰ Δανιὴλ, τοῦ προφήτου, (8) - aliosque bene multos, quos hoc loco recensere longum est. Nos identidem sic afficimur, quum Dominus provocet ad oracula, vaticinia, admonitiones Veteris Foederis, ut quasi ejus digitum videre videamur, nobis testimonia virorum divinorum monstrantem, - ut quasi verba: ἐρευνᾶτε τὰς γραφὰς, ὅτι ὑμεῖς δοκεῖτε ἐν αὐταῖς ζωὴν αἰώνιον ἔχειν· καὶ ἐκεῖναί εἰσιν αἱ μαρτυροῦσαι περὶ ἐμοῦ, (9) in auribus nostris resonantia audiamus.

Biblicam Jesu orationum formam non satis celebrare possumus propter admirabilem ejus splendorem, atque vim ingentem; eoque magis, si reputamus Eum numquam ex arbitrio, vel sine certo consilio testimonia V. T. laudare. Indicamus tantum *Matth.*

---

(1) *Matth.* XXI: 13.
(2) *Matth.* XXII: 31.
(3) *Matth.* XXI: 42.
(4) *Matth.* XXII: 43.
(5) *Joh.* XIII: 18.
(6) *Joh.* XV: 25.
(7) *Matth.* XIII: 14.
(8) *Matth.* XXIV: 15.
(9) *Joh.* V: 39.

XXI: 42, ubi Dominus insolentibus sacerdotibus et senioribus populi, postquam eos per parabolam coegit, ut se ipsos damnarent, vehementius etiam animos commovet ac percellit, interrogatione e *Psalmo* 118: 22 petita: *οὐδέποτε ἀνέγνωτε ἐν ταῖς γραφαῖς· Λίθον, ὃν ἀπεδοκίμασαν οἱ οἰκοδομοῦντες, οὗτος ἐγενήθη εἰς κεφαλὴν γωνίας· κ. τ. λ.* En veram biblicam eloquentiam, quae apte et scite vaticinia adhibet, illa vaticinia explicat et amplificat, acute et distincte aliquam partem proponit, sicuti hoc loco sect. 44 a Christo factum est. Etiamsi non notatum esset, quod in utraque posteriore hujus capitis sectione traditur, vel sic tamen sentiamus necesse est eos, qui Jesum sequerentur, ut scelestum suum consilium perficerent, his verbis auditis statim ab Eo discessisse, quoniam hujusmodi sermone malorum conscientia expergefacta manusque constrictae erant.

Biblica autem forma Ejus sermonum non tantum sublimitate expositionis excellebat, sed maxime etiam persuadendi vi, quam praesertim in disputationibus cum Judaeorum doctoribus animadvertimus, quamque aeque admiramur, ubi ad antiquissimorum fontium auctoritatem provocat. (1)

Inter magnam exemplorum copiam unum imprimis animadversione dignum est ob bene constitutam dialecticam argumentationem, nempe: *Matth.* XXII: 32. Postquam Christus Sadducaeis errorem, in quo versabantur, indicavit et principia erroris indagavit,

(1) Cf. e. g. *Joh.* VI 45.

ipsam veritatem luce clarius iis ostendit, eos ablegat ad summae scientiae fontem, eosque rogat, num legissent, quid Deus iis quoque dixerat: (1) ἐγώ εἰμι ὁ Θεὸς Ἀβραὰμ, καὶ ὁ Θεὸς Ἰσαὰκ, καὶ ὁ Θεὸς Ἰακώβ· quibus addit οὐκ ἔστιν Θεὸς νεκρῶν, ἀλλὰ ζώντων. Nam si Deus per Moses testatus erat, se etiam post mortem Abrahami, Isaäci, Jacobi, eorum Deum manere, necesse erat hos Patriarchas adhuc vivere; Deus enim non Deus erat mortuorum, sed viventium. Num Jesus clariore syllogismo et ex meliore fonte, quam quem et ipsi Sadducaei ἀξιόπιστον habebant et normam religionis, eos convincere poterat? Inspiciamus sectionem sequentem, ubi responsum ad nostram quaestionem reperiemus: καὶ ἀκούσαντες οἱ ὄχλοι ἐξεπλήσσοντο ἐπὶ τῇ διδαχῇ αὐτοῦ. Ἐφίμωσε τοὺς Σαδδουκαίους, qui vim atque veritatem V. T. effatorum negare non poterant.

Praeter *Matth.* XII: 17 sqq. coll. *Jes.* XLII: 1-4 obiter etiam indicamus *Matth.* XIX: 4-6, ut splendidum biblicae Christi eloquentiae specimen. Docet enim, quam recte Jesus legislationis divinae vim intelligeret, quanto acumine ac constantia eam mentem servaret, addito praecepto: ὃ οὖν ὁ Θεὸς συνέζευξεν, ἄνθρωπος μὴ χωριζέτω.

Sed pergamus et animadvertamus, quomodo ad sententiam confirmandam vel ad errorem impugnandum saepissime vel notum verbum biblicum, exemplum, imaginem, personam et rem leviter tetigerit, vel comparationes, figuras, picturas e Bibliis mutuatus

(1) *Exod.* III: 6.

fuerit, unde Ejus verba biblicum acceperunt colorem.

Ita Joh. V : 19, Jesus sublimi et praeclaro modo necessitudinem explicat, quae inter Ipsum Patremque intercedit. In sacris libris, quos Judaei unice reverebantur non semel summo Deo tribuebatur, mortuorum resuscitatio. Illa effata tangens disputationem suam amplificat, dicens οὕτω καὶ ὁ υἱὸς οὓς θέλει, ζωοποιεῖ (sect. 21). Sic Ejus verba nituntur oraculis V. T., unde Judaeis ex intima sua cum Deo cognatione, miram suam necessitudinem explicabat; - et quum sect. 27a eodem fundamento fidens dicit, sibi etiam judicandi potestatem datam esse, quippe filio hominis, Messiae, pro certo affirmare nobis licet, Eum hoc loco vaticinia Prophetae Danielis (VII: 13 et 14) respicere. Ubi iterum affirmat, se in omnibus illis magnis operibus peragendis non sine Patris communione, non ex se ipso, sine Patre agere posse, sponte reminiscimur, quae Jesaia (c. XI: 3) de Eo praedixit, eoque magis quod 37a addit: καὶ ὁ πέμψας με πατὴρ, αὐτὸς μεμαρτύρηκε περὶ ἐμοῦ. Quid? quod cum vi provocat ad Mosis testimonium (sect. 46), verisimiliter significans *Deuter.* XVIII: 15, 18 intimam ut familiaritatem, quae Ipsum jungebat cum Deo Patre, vindicaret. - Ita igitur tota oratio illa V. F. vaticiniis nitebatur, etiamsi eam non locis biblicis ad verbum allatis affirmaverit.

Solenni decessus horâ, quâ Deo et Patri rationem redderet de agendi ratione et discipulorum in Ejus nomine conservatione, defendit Sospitator diligentem suam curam, etiam quod attinet ad perditum Judam, tangens

Psalm XLI: 10 (coll. *Joh.* XIII: 18), dicens hisce verbis: καὶ οὐδεὶς ἐξ αὐτῶν ἀπώλετο, εἰ μὴ ὁ υἱὸς τῆς ἀπωλείας· ἵνα ἡ γραφὴ πληρωθῇ. (1) - Nonne Dominus praeceptum respexisset, quod *Deut.* XIX: 15 invenitur, ubi *Matth.* XVIII: 16 Apostolis praecipit ut, si fratrem, qui in ipsos peccavisset, admonitionibus privatis movere non possent, per duos vel tres testes injuriae convincerent et ad culpae confessionem adigerent. - Nonne Dominus id, quod a *Jesaia* (LXI: 7) et partim a *Jeremia* (VII: 11) dictum est, brevi atque gravi sententia complexus esse videtur, dicens: γέγραπται· ὁ οἶκός μου, οἶκος προσευχῆς κληθήσεται· ὑμεῖς δὲ αὐτὸν ἐποιήσατε σπήλαιον λῃστῶν. (2) Ita divinam suorum verborum auctoritatem confirmavit et auxit, in eorum gratiam, ad quos verba faciebat.

Sed non tantum Servator tangit notos biblicos locos, saepe etiam biblicis imaginibus iisque summa prudentia utitur. Ita agit e. g. ubi auditores ab anxia sollicitudine de necessario vestitu liberare vult dicens: λέγω ὑμῖν, (3) ὅτι οὐδὲ Σολομὼν ἐν πάσῃ τῇ δόξῃ αὐτοῦ περιεβάλετο ὡς ἓν τούτων, quibus verbis indicat, curam summi Numinis in tegendis et ornandis etiam floribus agrestibus hominum artem in se vestiendis et ornandis mirum quantum superare. Perspicua igitur erat interrogatio, quae sequebatur: εἰ δὲ τὸν χόρτον τοῦ ἀγροῦ, σήμερον ὄντα, καὶ αὔριον εἰς κλίβανον βαλ-

(1) *Joh.* XVII: 12b.

(2) *Matth.* XXI: 13.

(3) *Matth.* VI: 29 coll. *Luc.* XII: 27.

λόμενον, ὁ Θεὸς οὕτως (majore nempe splendore et magnificentia) ἀμφιέννυσιν, οὐ πολλῷ μᾶλλον ὑμᾶς, ὀλιγόπιστοι; vos scil. qui agri foenum longe superatis. Parabolam immisericordis servi (*Matth.* XVIII: 23-35, inprimis sect. 25), - primarum accubationum in conviviis (*Luc.* XIV: 7 sqq.; praesertim attendatur ad sect. 15, quae verba aeternam beatitudinem in memoriam revocant, qua justi post resurrectionem fructuri sunt, quum cum Abrahamo, Isaäco, Jacobo in regno Dei accumbent), - aliosque plures locos tanquam biblicae descriptionis specimina enodare possimus. (1)

Comparationes quoque suas Dominus saepe e Codice s. petebat, sive e fatis ibi memoratis, sive ex hominibus ibi descriptis, sive e rebus et cogitatis ibi notatis. Ut unum hujus rei exemplum afferamus, indicetur *Matth.* XXIV: 38, ubi Jesus, de suorum aequalium socordia loquens, suam aetatem cum Noachi tempore comparat, dicens ὥσπερ γὰρ ἦσαν ἐν ταῖς ἡμέραις ταῖς πρὸ τοῦ κατακλυσμοῦ τρώγοντες καὶ πίνοντες, γαμοῦντες καὶ ἐκγαμίζοντες, ἄχρι ἧς ἡμέρας εἰσῆλθε Νῶε εἰς τὴν κιβωτόν· κ. τ. λ. (2)

---

(1) E. g. *Matth.* XXIV: 29 sqq. coll. *Jesaia.* XIII: 10. *Ezechiël* XXXII: 7, 8. *Joël* II: 3, 4. *Zacharia* XII: 12. *Daniël* VII: 13, 14.

Porro *Joh.* XVI: 20 coll. *Jesaia* XXI: 3, XXVI: 17; *Jeremia* IV: 31, XXII: 23, alibi; - *Joh.* XIV: 23 coll. *Levit.* XXVI: 11, 12, *Ezech.* XXXVII: 26-28, *Apocal.* XXI: 3. - *Joh.* XV: 1 seqq. coll. *Jesaia* V: 1-7. *Jeremia* II: 21. *Ezechiël* XIX: 10-14. *Joël* I: 7. *Psalm.* LXXX: 9-17.

(2) Evolvantur praeterea *Matth.* XII: 40; *Joh.* III: 14 et 15; VI: 31 sqq, alia.

Quam apte Servator exempla afferret, ex vivendi ratione priorum virorum divinorum, vel ex prophetarum historia petita, cognoscimus ex prima Ejus Evangelii denunciatione, quam Nazarethae habuit. (1) Merito suspicabatur, homines, ut divinam suam auctoritatem probaret, miracula a se exspectare; sed in gratiam eorum, qui ἀπιστίᾳ et praejudicatis opinionibus rebusque terrestribus premebantur, quales isti Nazarethani erant, operam perdere noluit. Audimus Eum quasi rogantem: Num nescitis igitur, Eliae etiam tempore multas viduas in Israële reperiri; ad nullam vero earum Elia missus est, nisi ad unam in urbem Sareptam Sidonis? Num nescitis, tempore Elisae Prophetae, magnum leprosorum numerum in Israële oberrare, - atqui nemo eorum mundatus est praeter Neeman Syrum? Quare igitur reliqui omnes inopes manebant? Jesus nobis dicere videtur; - non ob Eliae vel Elisae impotentiam, sed propter populi impietatem. - Eadem autem est populi, in quo educatus sum, ratio! Ne igitur miremini si opera mea vobis non ostendam. (2)

Haec autem docendi forma quatenus se commendet, breviter animadvertere nobis liceat.

Primum enim procul dubio maximi est momenti, ut orator suae sententiae probandae causa testem afferat, cujus auctoritas apud audientes adversarios multum valet, quemadmodum V. T. scripta apud

(1) *Luc.* IV : 24 sqq.

(2) Praeclarum exemplum e. V. T. petitum, reperimus apud Lucam: *Evang.* VI : 3, 4.

Pharisaeos, legumque peritos. In opinionum dissensione praeterea requiritur, - si saltem ad optatum finem pervenire velimus, - ut utrimque a tali principio proficiscamur, quale ab utraque parte verum et rectum habetur. - Sic etiam hoc loco res sese habebat, ubi Sospitator Mosis et Prophetarum effatis ad verba sua firmanda usus est, quia hac in re nulla contradictio metuenda erat, inanes saepe controversiae tollebantur vel perversae interpretationes vitabantur. Deinde hujusmodi agendi ratio turbam necessario devincere debebat viro, qui tam clare ostendebat, se dilectas illas priorum virorum divinorum traditiones magni facere atque amare. -

Porro: quis non animadvertit, Christum hac ratione auditores suos reduxisse ad nativum Dei verbum, illiusque accuratam ac diligentem lectionem, quâ libere et clare inspicere possent historias memoratas, effata, vaticinia, proverbia et monita, quae in C. S. adnotata erant atque integre servata, - ita ut liberarentur a praeceptis et interpretationibus scripta enervantibus, quae rectius obscurationes dicerentur, atque ab additamentis, quae tanquam gravia onera a Scribis temere iis adnexa erant, - ac tandem effatis illis necessario adduci debebant, ad ampliorem significationem, graviorem sensum Jesu verbis tribuendum majoremque fidem iis habendam? - Nonne igitur talis forma plurimi erat facienda? -

Sed quod gravius est! Quum sacra volumina lectionis causa prodebantur, loci in promtu erant, qui necessario Domini verba in memoriam revocare

debebant. Quantam colloquendi ac meditandi materiam multis Israëlitis praebuerat Dominus; - ita fortasse flores exstiterunt quidam, unde postea maturi splendidique fructus regno Dei orti sunt. Quum e. c. Scribae et Pharisaei sibi historiam Jonae prophetae in memoriam revocarent vel de Salomonis sapientia legerent, tum profecto etiam se ad conversionem excitatos sentire debebant, sola tantum Domini monentis voce resonante: *Ἄνδρες Νινευῖται ἀναστήσονται ἐν τῇ κρίσει μετὰ τῆς γενεᾶς ταύτης, καὶ κατακρινοῦσιν αὐτήν· ὅτι μετενόησαν εἰς τὸ κήρυγμα Ἰωνᾶ· καὶ ἰδοὺ, πλεῖον Ἰωνᾶ ὧδε.* - *Βασίλισσα νότου ἐγερθήσεται ἐν τῇ κρίσει μετὰ τῆς γενεᾶς ταύτης, καὶ κατακρινεῖ αὐτήν· ὅτι ἦλθεν ἐκ τῶν περάτων τῆς γῆς ἀκοῦσαι τὴν σοφίαν Σολομῶντος· καὶ ἰδοὺ, πλεῖον Σολομῶντος ὧδε.* (1) Quum de calamitate legerent, quae terrae antiquae (Sodomae et Gomorrhae) acciderat, nonne necessario sibi in mentem revocare debebant ea, quae Christus de ultimis, quae venturae essent, rebus dixerat. (2) Quum Nicodemus quartum Mosis librum evolveret ibique legeret de aeneo angue, ante populi Israëlitici faciem in regione deserta erecto ad eos servandos, qui Dei amori ac potentiae confidentes eum adspecturi essent, nonne sua sponte meminisse debebat sermonis, aliquando cum Domino habiti, et Christi erectionis ad omnes liberandos, qui fidem Ei haberent? Quotiescunque mannae mentio fiebat, procul dubio meminerant Judaei

(1) *Matth.* XII: 41, 42.

(2) *Luc.* XVII: 26 sqq.

comparationis, quam Dominus aliquando inter alimentum hujus vitae terrestris et se Ipsum tanquam vitae aeternae panem fecerat; identidem profecto iis denuo promissa in auribus resonabant, olim tam certis verbis data: ὁ ἐρχόμενος πρός με, οὐ μὴ πεινάσῃ· καὶ ὁ πιστεύων εἰς ἐμὲ, οὐ μὴ διψήσῃ πώποτε. (1)

Sed rivos claudamus jamque videamus, quid Dominus in biblica eloquentia nobis imitandum praecipiat!

§ 2.

Quatenus haec forma Oratori sacro sit imitanda?

Oratori quoque sacro hanc rationem sequendam esse efficitur ex iis, quae a nobis disputata sunt. Nequaquam vero necesse est, ni fallor, post ea, quae ex ipso Christi ore excepimus, ut addamus, non esse nostram sententiam, ut s. s. Antistes orationes suas biblicis locis oneret, idque indicatis libro, capite, sectione, unde petiti sint. Contrarium docemur! Documento sit ingens biblicae eloquentiae exemplorum copia, quam a Jesu accepimus.

Secundum locum biblicum interdum Dominum audivimus dicentem, ut inde procedens praestantissimas, quas haec verba Ei offerebant partes, contemplaretur, et ad ea, quae praesto ac praesentia erant, referret. - Sic quoque orator agat sacer! (2) Gravis-

---

(1) *Joh.* VI: 35.

(2) Cons. ad h. l. E. Tinga, in Praefatione ad belg. vers.

simum ei sit officium, ut Codicis sacri effata quam optime explicet, quo salubrem atque foecundam librorum ss. notitiam inter auditores suos dispergat. Quae supra universe diximus de populari dicendi forma, hic etiam valent de argumenti interpretatione: eam scilicet perspicuam et simplicem esse debere, ut ab omnibus intelligi queat. Omnes inutiles vitet ambages, ac scholasticas explicationes, omnem doctrinae ostentationem, quibus mens ac sensus verbi divini obscurantur potius quam illustrantur. Si quando interpretatione opus est, magis haec ad res quam ad verba spectet.

Exemplum porro petat a Magistro, ubi hic graviter loquitur ad praejudicatas opiniones erroresque, quibus populus premebatur, quosque principes nutriebant et alebant, oppugnandos. Imitetur Servatorem, ubi vanam sapientiam atque scholasticam doctrinam stultitiae arguit, quod effata, vaticinia, admonitiones Dei sui ingenii luce illustrare atque explicare velit. Nam etiam oratori sacro saec. XIX[i] errores oppugnandi et dubitationes solvendae sunt, quae homines nonnullis dogmatibus adjecerunt. Nam s. s. Antistiti etiam hujus aevi summa virtutis et officii praecepta saepissime exuenda sunt vestimento, quo hodierna sic dicta elegantia ea involvit. - Christi igitur exemplo

---

Marezollii operis: *De Best. v. d. k. Red.*, qui in ea profitetur, se nulla ratione cum diatribes auctore facere, analyticam vero concionandi methodum syntheticae se longe praeferre ob magnum, quod auditoribus affert, biblicae cognitionis commodum.

ille quoque vocem tollat, ut re vera rursus animi atque vitae praecepta fiant, quemadmodum in Evangelio ab origine litteris consignata sunt! Quodsi Dominus ita egit, qui se significatione maxime sublimi τὴν ἀλήθειαν appellare poterat, quanto magis est ministri, qui sine lumine Codicis sacri ὁδηγός esset τυφλὸς τυφλῶν! Probe scio Evangelii nuncium, se accommodare si vellet perverso saeculi ingenio, addendo vel detrahendo verbum divinum adulterare debere. (1) Si quaeratis, quid sit, quod verum Christi ministrum ab his omnibus retineat? Exemplum Domini, quod eum monet: ἐρευνᾶτε καὶ κηρύξατε τὰς γραφάς! - Vestigia etiam

(1) Non opus esse opinamur, ut h. l. afferamus viri. ven. v. Oosterzee, *Orat.* s. s. p. 24: „Hier verheft zich de stem der zondige wereld, die een' Christus wil, wiens licht zij kan genieten, zonder hare duisternis te verzaken, in wiens kruis zij kan roemen, zonder zich der zonde te laten kruisigen, voor wiens troon zij kan knielen, zonder hare afgoden in het stof te vertreden. Als of Christus daartoe gepredikt werd, opdat Hij een dienaar der zonde zou wezen! — Dáár eischt de rede, dat men alles uit de Evangelieprediking zal uitmonsteren, wat hare uitspraken overtreft. Als of het Goddelijke naar geen' anderen maatstaf, dan die van het bekrompen' menschelijke ware te meten! — Ginds heeft een duister gevoel zich op den regterstoel geplaatst, om waarheid van onwaarheid te schiften. Als of men bij een dwaallicht zich het best kon overtuigen van de ware gedaante der zon! — Elders voegt men bij het eenvoudig Evangelie uitspraken van feilbaar gezag, en schaart zich onder vanen, waarop menschennamen zijn geschreven. Als of het Godsgebouw morgen zou instorten, zoodra het alleen door den uitersten hoeksteen, en niet tevens door menschelijke pijlers gesteund werd!"

premat Sospitatoris, ubi post brevem et dilucidam explicationem rem propositam firmat, amplificat, magis magisque incenditur atque doctrinam de regno coelorum exponit; - eadem quoque ratione Ejus legatus dicat verbis πνευματικοῖς de iis, quae τοῦ πνεύματος sunt, et Prophetarum Apostolorumque fundamento superstruens, coetum suum exaedificet εἰς κατοικητήριον τοῦ Θεοῦ ἐν πνεύματι.

Presse etiam orator sacer Domini exemplum sequatur, ubi religionis placitum aliquod, quod hominibus, sui amore vel ἀπιστίᾳ ductis, non placet, verbo divino confirmare studet et fundare. Hac formâ hodierna eloquentia sacra se aeque clare distinguat! Aptus effatorum biblicorum usus miram vim ac pondus orationi affert, non tantum ei sublimitatem venerationemque addit, sed etiam aliquid quod animum movet, quandam (ut ita dicam!) unctionem, qualis voce humana difficile exprimi potest. - Sic doctoris Christiani sermoni signum imprimitur, quo veri sigillum prae se ferat. Tum demum auctoritate divina verba faciet, ejusque oratio non facile humanae sapientiae summa habebitur. (1) Ne dicam, auditores tali Scripturae Sacrae usu magis magisque Patefactionis divinae menti initiari, mutuum multorum locorum vinculum melius perspicere, mutuamque congruentiam ac vim diversorum scriptorum altius sentire.

(1) Cff. ad h. l. Theremin, *Ber. e. Tug.* p. 50 et 60; Blair, *Lessen*, etc. T. II. p. 226. Heringa: *Kerk. Raadvr. en Raadg.* Vol. III. P. I. p. 20 et 21; Steenmeijer: *Godgel. Bijdr.* T. VI. p. 607.

Tandem Domini orationum formae magnam vim ac vigorem earumque elocutioni multum splendorem ac decus afferebant biblicae imagines, comparationes, exempla, translationes. - Ut igitur denuo Christi exemplum afferam, in Codice Sacro apertum thesaurum videmus, pulcherrimis sententiis audacissimisque imaginibus ornatum, qualem nullum aliud eloquentiae genus se possidere gloriari possit, qui oratori sacro praeclaram viam indicat, quomodo dictionem variare et animare possit. - Summi quoque oratores sacri hac lingua egregie usi sunt. Cavendum est autem ab iis loquendi formulis, imaginibus, comparationibus, translationibus, quae Orientis tantum sunt, et in nostra regione non nisi contemtum vel irrisionem excitant. (1) Videat igitur orator sacer, ne, quantum ejus fieri possit, omnes obscuras, propheticas et figuratas locutiones admittat, quae sine regionis, linguae, legum morumque Israëliticorum scientia haud facile intelligi possint. Maxime vero biblice loquatur, quum officii munus postulat ut de religionis placitis agat, quae humanum intellectum longe superant, quo periculum evitet, ne divina illa oracula sive ab una tantum

---

(1) Cf. ad h. l. Blairius: *Lessen* p. 226, 227 rell. cum Lulofsii annot. ad h. l., Heringa, *Kerk. R.* Vol. II. P. II 407 sqq. Vol. III P. I. 17 sqq. Fénelon, *Gespr.* p. 129 et Schrantii annot. ad h. l. Non plane in eandem sententiam dicit Marezoll: *de forma biblica* p. 158-166. Operae pretium est comparare Thereminum (*Ber. e. Tug.* p. 158-160) cum Marezollio, rationemque, qua uterque sententiam suam defendit.

parte, sive non recte, sive non prorsus evangelice proponat. (1)

Denique, ut bene intelligatur quid velimus, biblicam loquendi formam dicentes, non eam orationem significamus, cui frequentes loci, e V. T. petiti, sunt intexti, vel qua biblica doctrina verbis ipsi propriis exponitur. Sed tum, quando spiritus ac mens Patefactionis divinae in omnibus elucet, quae e suggestu sacro pronunciantur, quando sententiae ac placita, imagines et exempla, verbo: quando tota oratio biblicum quasi habet colorem ac mentem divinam spirat, - quando in omnibus, vel in formulis minoris ambitus, blanda et gravis sacrarum litterarum vox loquitur, - tum demum aliquis dici potest biblice loqui, tum demum auditor eam ex Evangelii denunciatione accipit unctionem, quae auditorum animos commovet eosque idoneos reddit, qui bonum semen, a sacrorum Antistite satum excipiant, - tum demum Magistri vestigiis insequitur!

Profecto! si huic sublimi consilio satisfacere velit, iterum iterumque Codicem Sacrum legat! (2) Nocturna

---

(1) Cons. Marezoll, L. l. p. 167, 3o.

(2) Caveat vero ne eo, quem Bungenerus reprehendit modo C. S. legat (*Sermon sous Louis XIV* p. 261): „Lire la Bible en vue de l'imiter comme on imiterait Horace ou Virgile, ce serait une déplorable marche, et j'avoue que je n'aurais pas grande opinion du christianisme d'un homme qui s'y prendrait ainsi; il me faudrait probablement bientôt le ranger parmi ces gens, qui frisent et parfument les prophètes, comme dit M. de Balzac (dans son *Socrate Chrétien*, VIIe discours).

verset manu, verset diurna! Altius semper in eum penetret, (1) eumque, ut ita dicam in succum et sanguinem vertat, et quam maximam cum eo contrahat familiaritatem. In legendis Jesu orationibus praesertim animum advertat ad earum biblicam formam et ad viam, quam Ille ingressus est. At enim ipsa scriptura sacra summam habeat vim in ipsius doctoris Christiani animum. (2) Nam quamvis acuto sensu, subtili judicio, acri ingenio egregrie iis utatur, quae literae sacrae ei praebent, si Evangelica mente est destitutus, verus orator sacer haberi nequit. (3)

Ut paucis absolvam! Si aliis locis exemplum Domini indicavimus tanquam unicum, quod sacrorum Antistitem imitari atque sequi oportet, - hoc maxime loco, ubi disceptationem nostram de biblica Jesu orationum forma ad finem perduximus, multo etiam majore vi repetimus: nos, quo magis Magistri nostri vestigia

---

(1) Vid. Bungener, l. l. p. 266 et 267.

(2) Conf. omnino Bungener; l. l. p. 261, ubi: „Je veux," inquit, „que l'imitation vienne d'elle-même, qu'elle parte du coeur, non de l'esprit, qu'elle ne commence, par conséquent, que, lorsqu'on sera assez familiarisé avec le style des saints livres pour en nourrir le sien, mais sans intention, sans efforts, presque sans s'en apercevoir," et quae sequuntur de discrimine, quod intercedit veram inter ac fallacem biblicae formae imitationem.

(3) Lubentisse calculum adjicimus hisce Theremini verbis, „Es liegt in der Natur der Sache, dass, so wie die geistlichen Redner, die Ueberzeugung von der Göttlichen Autorität der Bibel verlieren, auch ihre Beredsamkeit an Kraft und Würde verlieren muss." (*Bereds. e. Tug.* p. 60).

premamus, eo melius et prius effecturos esse, ut eandem mentem orationes nostrae spirent; - ut iisdem commodis in munere nostro fruamur, quae cum Ejus dicendi docendique forma conjuncta erant. (1)

---

(1) Imo ex pectore cuique oratori sacro Gallici scriptoris acclamare velimus monita: „Prenez donc ministres de la parole, prenez à pleines mains. C'est un trésor ouvert à tous; c'est le seul livre où personne ne risque d'être accusé de plagiat. Prenez! Ces idées, qui ont déjà appartenu à tant de millions d'intelligences, elles seront à vous, comme si vous étiez le premier à les y voir; ces images mille et mille fois admirées, elles peuvent l'être encore, elles le seront tant qu'il y aura au monde des restes d'un goût pur et noble." Bungener, l. l. p. 271 sqq.

Quantae sint sacrarum literarum in Eloquentia sacra partes exposuit clar. v. Oordt, *Or. l.* p. 15-17. Frequenter et egregie Borgerus noster litteris sacris usus est; parcius, sed elegantius Palmius. De biblica Borgeri ac Bossuetii eloquentia fuse egit Lulofsius in annot. ad Blairium T. II. p. 226. Non possumus h. l. non afferre pulcherrimum exemplum, petitum ex orationibus posthumis viri nobis, eheu! tam subito erepti, Ab^mi. des Amorie v. d. Hoeven, Ab^mi fil., ubi agit de animi duritia, quae maximam partem populi Israëlitici invaserat, secundum *Rom.* XI: 25, 26^a, et ad eam duritiam tanquam consecutionem et poenam populi peccatorum incredulitatisque monstrans, ita loquitur: „Jaarlijks vieren zij hun grooten verzoendag, hun grooten Verzoener kennen zij niet. Zij heffen hunne spreuken en hunne klagten op, den psalm van den wijnstok (*Psalm.* LXXX): „Heer, gij hebt uwen wijnstok uit Egypte overgebragt, en de volken verdreven om dien te planten; gij hebt hem plaats bereid en hem doen wortelen, tot dat hij 't gansche land vervulde. Waarom hebt gij thans zijne omheining doorgebroken, dat allen die voorbijgaan hem berooven? Het woudzwijn heeft hem omgewroet, het wild gedierte hem afgeweid; o God! keer toch weder en bezoek uwen

wijngaard!" Zoo vraagt en klaagt en smeekt gij, kinderen Israëls! Maar verneemt het antwoord des Heeren: „Hoort eene andere gelijkenisse! De gelijkenis van de landlieden in den wijngaard, die de dienstknechten huns Heeren hebben geslagen en gesteenigd en gedood; en toen de Zoon, de erfgenaam tot hen kwam, dien hebben zij uitgeworpen en vermoord! Spreekt: wat moest de Heer des wijngaards die landlieden doen? Heeft Hij niet regt gedaan, dat Hij hen verdreef uit Zijnen wijngaard? Daarom, schoon gij u Abrahams kinderen noemt en erfgenamen der belofte, nogthands is het Koningrijk Gods van u weggenomen, en anderen volken geschonken, die hunne vruchten geven!" *Nagel. Leerr.* p. 139 et 140.

Summa eloquentia sane et dicendi venustate se commendat etiam Borgeri allusio ad sublimia Jobi verba: „Menschen geringer dan een druppel aan den emmer, dan een stofje aan de weegschaal! heft uwe oogen op, en beproeft of gij zonder blozen eischen kunt, dat God zich voor u verantwoorde; God, die deze starren rondom den voet van zijnen troon zaaide, Waar waart gij, toen Hij de aarde grondvestte? geeft het te kennen, indien gij kloek van verstand zijt. Waar waart gij, toen de morgenstarren vrolijk zongen, en alle Gods kinderen juichten? Bindt gij den band van het zevengesternte? Slaakt gij de teugels van den Orion? Voert gij den wagen op zijnen tijd? Leidt gij de beerin met hare kinderen? Kent gij de ordonnantien des hemels? Geeft gij aan de aarde uwe bevelen? Zoo antwoordde God uit een onweder aan eenen lijder, die Hem rekenschap durfde vragen, en zoo antwoordt Hij nog elken avond, als een onbewolkte hemel de grootheid van zijne kracht en de sterkte van Zijn vermogen vertoont." *Leerr.* T. II, Ed. 6ae. p. 54.

E superiore saeculo biblica dicendi forma maxime excelluerunt Hinlopen et v. d. Roest.

CAPUT TERTIUM.

DE ORATORIA EXPONENDI AC DICENDI RATIONE.

§ 1.

De oratoria Jesu orationum forma.

Superest ut videamus de rhetorica sive oratoria Jesu Christi orationum forma. - In hac tamen nostrae disquisitionis parte quam brevissimi esse studebimus; - ubi enim de populari et biblica forma loquuti sumus, argumenta jam attigimus, quae partim ad hanc speciminis partem referri possint. Et praeterea infra saepius oratoriam Domini dicendi rationem admirari poterimus. Pauca tamen de hoc argumento in medium proferre haud abs re fore speramus.

Antequam vero rem ipsam aggrediamur, necesse esse opinamur ut breviter exponamus quid intelligamus ubi de oratoria vel rhetorica forma loquimur.

Orator, qui cum summis ingenii virtutibus simul

generosum animum conjungit, qui ea facultate pollet, ut omnia, quae cogitat ac sentit, plane disertis ac splendidis verbis reddat, - is oratorie loquitur, quando cogitationes suas plena ac numerosa orationis forma exponit, - i. e. quando pulchritudine dictionis auditores movet, in eligendis et disponendis verbis subtilis est, apta divisione et facili copulatione sententiarum et periodorum, suaviter sonanti consecutione variorum sonorum, et praesertim grato orationis decursu vel fine auditores devincire scit et movere, - porro: quando ei datum est, ut dicendi vi cogitationum ordinem justo splendore et igne exponere possit, animo vel maxime frigido ferventes scintillas inserere, eum mollire, et pectus vel maxime ferreum incendere queat; quando èt natura èt homo èt societas civilis èt codex sacer èt religio ei praesto sunt, unde exempla, comparationes, antitheses, metaphoras omnemque linguam figuratam petat, quando haec omnia ei divitiarum suarum copiam faciunt, ut sibi viam ad hominum animos muniat, - quando haec omnia adhibet ad eam mentem, qua ipse flagrat, in auditorum pectore excitandam. (1)

Dignissimae sunt Jesu Christi orationes, quae oratoriae etiam dicantur. Quamquam enim nulla

---

(1) Lectores ablegamus ad Palmii *Salomonem*, T. IV 356, 357, Thereminum: *Ber. e. Tug.* p. 185 et Bouterwekium: *Grondbeginselen der leer van het Schoone*, T. II. p. 145 et 146.

Antiqui rhetoricam universe dicebant artem persuadendi, artem ad persuadendum apte dicendi. Cons. Cicero in Libr. II c. 6. *de Finibus.*

ars quaesita in iis deprehenditur, nusquam tamen desideratur periodorum rotunditas, neque numerus, oratorius dictus, neque aequalitas membrorum, eorumque apta variatio, ut modo adscendat, modo descendat oratio. Nusquam Christi verba carent suavitate et harmonia, quae requiritur etiam in sonorum dispositione, secundum naturam rerum quas tractat; neque tantum concinit universus dictionis color cum materia, sed similitudo etiam et congruentia cernitur inter singulos sonos vel voces et res, quae describuntur. Consideremus e. g. gravem ac divinum colorem, qui cernitur et dominatur in oratione, *Joh.* V: 19-47 literis mandata, eumque opponamus didacticae, animum erigenti ac confirmanti indoli orationis, *Matth.* X: 5 sqq. consignatae. Praeterea operae pretium est animadvertere discrimen inter materiam orationis *Matth.* XXIV: 4 - XXV, quae nobis sonat tanquam ex ore severi ad poenitentiam excitantis Prophetae, et tristem illum, mollem, suavem, coelestem sonitum, qui nobis cum ex oratione valedicente, tum ex adjectis ei precibus (*Joh.* XIV - XVII) in auribus resonat. -

Quodsi plures species requiras, relegas, quaeso, octo priores beandi formulas in oratione montana, Quanta symmetria, quanta volubilitas, quanta vis in singulis sententiis! Audite porro Ejus vocem ut severi morum castigatoris intra parietes templi Hierosolymitani, (1) - quater istud repetitum: „οὐαὶ ὑμῖν",

(1) *Matth.* XXIII: 13 sqq.

interruptum minus terribili sonitu, ut mox secundum argumenti indolem rursus incendatur, suamque indignationem. Pharisaeorum malitia motam, acribus, metum incutientibus luctuosisque exclamationibus significaret. - Ablegamus praeterea lectorem ad *Luc.* XII : 22-30, ut agnoscat elegantiam et suavitatem, quales tantum viris dicendi arte excellentibus propriae esse solent. - Non quidem artis oratoriae praecepta ex scholasticorum sui temporis doctorum ore audiverat, sed vel sic tamen Ejus orationes eo numero oratorio, ea pulchritudine ac suavitate rhetorica excellunt, quae raro in germano oratore cernitur. (1)

Ne vero putemus numerum oratorium, quem laudavimus in Jesu orationum forma, eo pertinere, ut sententiarum expositio nimis suaviter sonaret, vel ut ex periodorum venustate uniformis quidam sonitus nasceretur, qui taedium pro voluptate moveat. Non semper Domini elocutio aequalis est et dimensa. Pulchritudo structurae saepe robori ac veritati condonatur. Brevis et abrupta propterea Ejus dictio dici potest, brevis tota expositionis forma, sed non minus pura, dilucida, perspicua, nec minus pulchra, imo pulchrior, quoniam illa forma materiae magis convenit, - planior, quoniam breves periodi tantum recte ab audientibus animo comprehendi atque memoriae mandari possunt. Pro varia rerum, quae tractantur, natura stilus variatur, quo hujus vis augetur. - Di-

(1) Cf. Doct. van Herwerden, *J. C. in de Bergrede*, rell. p. 22-26.

mensae et artificiose compositae periodi, longis interpositis sententiis pertextae, nusquam apud Jesum reperiuntur. Improbandae enim sunt. Formam oratoriam variatam, quae maxime idonea est ad efficiendum, ut auditores ex oratoris ore pendeant, eorum menti persuadeatur, animus occupetur atque graves aculei relinquantur, - hanc solam reperimus vel non quaesitam in Ejus orationibus. *Matth.* XXIII: 13 sqq considerantes, id obiter jam animadvertimus; ablegamus lectores porro ad *Matth.* VII: 1, 7, 13 caett. Quam breviter, quam graviter, quam acute omnia dicta sunt! Et tandem orationis finem, inde a sect. 24a usque ad 28am legentes, stupemus sane variationis pulchritudine et varietatis abundantia. Sed quid omnia illa minutissima exemplis indicamus? Cum aliis etiam nos veremur ne, si Domini orationum varias partes sigillatim commemoremus, animus qui in toto conspicuus est pereat. Allata igitur specimina tantum inserviant ad consilium nostrum indicandum.

Oratoria Christi orationum forma inprimis excellebat frequenti, sed apto Figurarum ac Troporum usu. (1) - Abundant certe verborum luminibus

(1) De Tropis et Figuris cf. Aristot. *τέχν. ῥητ.* 3. 9 Cicero, *Orator.* C. 39 et 40; *de Oratore.* II, 62. 252 sq. Quinct, *Institt.* IX. 2, Auct. ad Herenn. IV: 12 sq., Voss: *Orat. Instit.* ed. Dordr. 1609. L. V, Flavii: *clav. script. s.* P. II. p. 298 sq. Glassii: *philol. sacr.* p. 1328 sq. ed. Dath.

Cons. Gernhard ad Quinct. *Instit. Orat.* Lib. VIII c. 5, 35; Vol. II. p. 341, Lipsiae 1830, et vid. Heringa *Kerk. Raadv.* III. 2. p. 100 sqq.

sententiarumque ornamentis, quae venusta sunt et audacia. Occupat, percellit, cogit nos ad eum sensum amplectendum, quem excitare cupit; nunquam enim iis exornandi tantum gratia, sine certo quodam proposito usus est; semper inserviebant ad sententias, quas afferebat, illustrandas atque animis inculcandas, ad orationis vim atque efficacitatem augendam. Quid? quod Ejus cogitationes atque affectiones sua sponte hac veste indutae esse, Ejusque ingenium procreans semper comitari videbantur. Propterea etiam Ejus elocutio semper erat naturalis et simplex; propterea hac quoque in re manebat orator popularis per excellentiam.

Non aliter res sese habet in omni lingua figurata, a Jesu in sermonibus adhibita. Eam non quaerit, non sectatur; una cum sententiarum expositione nascitur. Quae apud seriores oratores saepe ex artis promtuario sumta sunt, ab Eo petuntur ex ipsa natura ac pulchriora redduntur. Quae apud illos saepe pertinent ad usum ineptum atque inutilem, omnesque offendunt, in iis quoque Christum omnino tanquam exemplum, cuivis oratori imitandum, tuto proponere nobis licet.

Evolvite aliquam Ejus orationum ac legite, quomodo res terrestres a Christo tanquam symbolum rerum coelestium proponantur. Nam ὁ κόκκος σινάπεως discipulos monebat de Evangelii in hac terra propagatione, (1) - γάμος de sorte Ejus doctrinae, (2) - συκῆ

(1) *Matth.* XIII : 31, 32.

(2) *Matth.* XXII : 2 sqq.

sterilis de sorte eorum, qui fidem suam bonis operibus non confirmant, (1) - υἱὸς ἀπολωλὼς de infinita Dei misericordia, (2) - ἄνθρωπος δέ τις πλούσιος vel Λάζαρος de mutata in vita futura sorte. (3) - Sic in genere, sic etiam in singulis partibus idem demonstrare possemus, nisi metueremur, ne rem in nimis minutas partes descinderemus. (4) Nihilominus tamen troporum ac figurarum, quae in Domini orationibus inveniuntur, atrium lustrabimus atque hic illic, si forte accuratiore contemplatione opus esse videbitur, paulisper consistemus.

Incipiamus a Metaphora, cum vox a propria significatione ad aliam sed cognatam, (nisi contrariam) transfertur, sive, cum ex simili simile significatur; (5) et paucas memoriter adscribamus: ἐγώ εἰμι

(1) *Matth.* XXI: 19.

(2) *Luc.* XV: 11 sqq.

(3) *Luc.* XVI: 19 sqq.

(4) Digna sunt, quae hîc laudentur Egelingii verba: „Zoo is, bij voorbeeld, de zorg van een vader voor zijne kinderen, in Jezus onderwijs, een beeld en onderpand van de zooveel grootere en zekerder liefde des Hemelschen Vaders. Zoo leert Hij uit het toenmalig gebruik van wijnzakken, uit de gewone herstelling van een gescheurd kleed, hoe men, in alle dingen, tijd en wijze moet in het oog houden; zoo moeten vogelen en bloemen vertrouwen op God leeren; zoo moet een akker met tarwe en onkruid waarschuwen tegen de boosheid en tot bekeering opwekken." *de Weg der Zaligheid.* T. I. p. 411. *Matth.* VI: 25-30, VIII: 9-11, 16-20, IX: 14-17, XIII: 2-30.

(5) Vid. Glassius: l. l. p. 916 coll. Quinctil. *instit. Orat.* Lib. VIII: 7. Vol. II. p. 342 ed. Gernhard.

ἡ θύρα (*Joh.* X: 9), - ἐγώ εἰμι ὁ ποιμὴν ὁ καλός (*Joh.* X: 11), - ἐγώ εἰμι τὸ φῶς τοῦ κόσμου (*Joh.* VIII: 12), - ἐγώ εἰμι ἡ ὁδὸς, καὶ ἡ ἀλήθεια, καὶ ἡ ζωή (*Joh.* XIV: 6), - ἐγώ εἰμι ὁ ἄρτος τῆς ζωῆς (*Joh.* VI: 35, 48), - ἐγώ εἰμι ἡ ἄμπελος ἡ ἀληθινὴ, καὶ ὁ πατήρ μου ὁ γεωργός ἐστι (*Joh.* XV: 1), - ἐγώ εἰμι ἡ ἀνάστασις καὶ ἡ ζωή· (*Joh.* XI: 25), - ἡ γὰρ σάρξ μου ἀληθῶς ἐστι βρῶσις, καὶ τὸ αἷμά μου ἀληθῶς ἐστι πόσις (*Joh.* VI: 55), atque sexcentas alias. (1)

Allegorica reperitur figura *Matth.* IX: 16, 17 - *Joh.* X: 1-5 allegorica dispositio vel oratio. (2)

Synecdochae (cum res tota cognoscitur parva de parte aut de toto pars) - atque metonymiae (quae a propinquis et finitimis rebus trahunt orationem, qua possit intelligi res, quae non suo vocabulo sit appellata) in singulis fere paginis reperiuntur. E. g. *Matth.* VI: 11: τὸν ἄρτον τὸν ἐπιούσιον, *Marc.* XIII: 20: πᾶσα σάρξ; *Luc.* XX: 9: χρόνοι; - *Joh.* VII: 7: οὐ δύναται ὁ κόσμος μισεῖν ὑμᾶς: *Marc.* XIV: 35; *Luc.* VI: 21 γελᾶν et κλαίειν *Joh.* XVI: 20 pro

---

(1) Pluribus si quis indigeat exemplis, adeat: *Matth.* IV: 19, VI: 30, XV: 13, 14, XVI: 18, 24, *Marc.* I: 17, VIII: 15, 24, *Luc.* XIII: 32, XV: 24, 32, XVI: 17, *Joh.* III: 8, IV: 13, 14, VI: 27, 41, VII: 37, X: 8, 27, XII: 46, - caett.

(2) Recte Glassius l. l. p. 1294. 5: „Allegoria justa unum tropum servat per complura orationis membra, cum contra simplex metaphora sit, quae in uno tantum membro conservetur." Conss. praeterea: Vossius: *institut. orat.* IV. c. II. Cicero, *Orat.* C. XXVII coll. *ad Attic.* II, 30. Quinctilian, lib. VIII. c. 6. p. 349, ed. Gernhard.

laetitia ac dolore, *Matth.* V: 47 ἀσπάζεσθαι, salutatio pro amicitiae symbolo, (1) caett.

Non constat, utrum εἰρώνεια (tropus, quo contrarium pro contrario, oppositum pro opposito ponitur) (2) revera in Christi orationibus reperiatur nec ne. Vocabulum καλῶς *Marc.* VII: 9 et *Joh.* IV: 17 nonnulli tanquam ironice dictum acceperunt, quod tamen nulla ratione opus esse videtur. Eodem modo vir doct. v. Oosterzee (*L. v. J.* Vol. II. P. I. p. 617) *Joh.* VII: 28 ironiam sacram esse censet. Omnibus temporibus de usu hujus apud Jesum tropi magna inter viros doctos lis fuit. Cff. doct. Paulus: *Heidelb. Jahrb.* 1821. p. 120, - Winer: *Nachricht uber die unter meine Leitung stehende exeget. Geselschafft (voranbemerkung über die Ironiën in den Reden Jesu)* Lipsiae 1822, p. 56, - Tzschucke: *Comment. de ironia* p. 286, - Grülich: *uber die Ironiën in den Reden Jesu*, Leipz. 1838, - Lange in diar. *Bijdrag. van Buitenl. Godgel.* D. I. st. 1 bl. 99. (3)

---

(1) Auct. ad Herennium (Cornificius?) Lib. IV coll. Quinctil. Lib. VIII. C. 6, 19, 23.

(2) „Ironia est tropus, quo verba nostra longe aliud quid, quam intelligi volumus, significant." Voss. *Rhet.*

(3) Ne plures commemoremus scriptores praesertim conff. Wilkii verba: „In den Reden Jesu findet sich die Ironie blos an einer einzigen Stelle. Denn wenn wir von den Stellen absehen, in welche sie durch falsche Erklärung eingetragen wird, *Luc.* VII: 35 (*Matth.* XI: 9, wo irrig angenommen wird, dass τέκνα σοφίας spottweise die Juden genannt werden, da vielmehr der Sinn est: die (Profeten sendende) Weisheit erhielt gegen Verkennung Recht von den ihr Gleichgesinnten), -

Ὑπερβολῆς s. Superlationis (quando id, quod dicitur longe est amplius, quam quod eo dicto significatur (1)) exempla reperiuntur: *Matth.* XXIII: 24: ὁδηγοὶ τυφλοὶ, οἱ διϋλιζοντες τὸν κώνωπα, τὴν δὲ κάμηλον καταπίνοντες, - *Marc.* X: 25: εὐκοπώτερόν ἐστι κάμηλον διὰ τῆς τρυμαλιᾶς τῆς ῥαφίδος διελθεῖν, ἢ πλούσιον εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ διελθεῖν, - *Luc.* XIX: 40: λέγω ὑμῖν ὅτι ἐὰν οὗτοι σιωπήσωσιν, οἱ

Matth. XIX: 27, 28 (wo in der Einschaltung des Matthäus so wenig als in den nicht interpolirten Texten *Marc.* X: 29, *Luc.* XVIII: 29 irgend eine Spur von Ironie anzutreffen ist; vergl. mit der Matthäischen Einschaltung *Luc.* XXII: 29, 30) *Joh.* II: 4, VII: 28, XIII: 10, XV: 20, - wenn mann, sage ich, diese Stellen wegnimmt, so bleiben blos solche übrig, die den Schein der Ironie haben, und zwar folgende: *Marc.* VII: 9 (καγῶς ἀθετεῖτε. Allein in dem καλῶς drückt sich hier nicht das ironische Lob der Trefflichkeit, sondern die Anerkennung der Schlauheit, oder der ihren Vortheil verstehenden Klugheit aus, obgleich die Aufdeckung der sich in Verborgenen haltenden für die betheiligten Hörer etwas Bitteres involviren mochte. Bittere Wahrheiten können im Scherz vorgebracht werden, ohne Ironie zu seyn, auch kann man die Künstlichkeit eines Verfahrens anerkennen, ohne es im Geringsten zu billigen), - *Luc.* XIII: 33 (ὅτι οὐκ ἐνδέχεται etc. blos hier möchte die Ironie nicht zu verkennen sein „die Ehre, Propheten zu morden, gehört blos der Stadt Jerusalem." *Die neutestamentliche Rhetorik* p. 356 coll. 417.

(1) Laudata definitio est Augustini: *de civit. Dei* XVI: 21. Cff. praeterea *Auct. ad Herenn.* IV: 33: superlatio est oratio superans veritatem alicujus augendi minuendive caussa. Glassius, p. 1284 (ed. Dath): „duplex hyperbolis species constitui potest, αὔξησις et μείωσις, amplificatio et extenuatio," rell.

λίθοι κεκράξονται, - *Matth.* XVII: 20, XI: 23; *Marc.* IX: 41, 42; *Luc.* X: 15; XVII: 6, alia.

Euphemismus legitur *Joh.* XI: 11: Λάζαρος ὁ φίλος ἡμῶν κεκοίμηται', sed inprimis Dominus iis usus est, ubi de instantibus cruciatibus ac futura morte loquens, dicit se πρὸς τὸν πατέρα πορεύεσθαι (*Joh.* XIV: 12, alibi).

Ac tandem Catachreses enunciemus (1) Conff. *Joh.* VI: 53: ἐὰν μὴ φάγητε τὴν σάρκα τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου, καὶ πίητε αὐτοῦ τὸ αἷμα, οὐκ ἔχετε ζωὴν ἐν ἑαυτοῖς, - et porro: *Matth.* XIX: 12: εὐνουχίζειν ἑαυτόν non hyperbolice dictum est, prouti Glassius contendit, sed κατάχρησις est habenda.

Haecce cujuscunque troporum generis exempla ad rem probandam sufficiant.

Quod autem ad verborum figuras attinet, innumera specimina ubique in Jesu orationibus inveniuntur. Pleonasmi e.g. leguntur *Marc.* IV: 30 ubi vocabula: τίνι ὁμοιώσωμεν, - ἢ ἐν ποίᾳ παραβολῇ παραβάλωμεν idem fere significant; - *Joh.* III: 11: ὅτι ὃ οἴδαμεν λαλοῦμεν καὶ ὃ ἑωράκαμεν μαρτυροῦμεν eodem redeunt. Sic etiam *Marc.* XIII: 9: παραδώσουσι - συναγωγάς et quae sequuntur eandem fere sententiam praebent, - Cff. porro *Matth.* XXIV: 50; *Marc.* V: 4, alia.

Anaphora, quae dicitur, quum una vel plures voces iterantur in principiis clausularum, legi quo-

---

(1) Conss. Quinctilian: L. VIII c. 6. § 34 (vol. II. p. 347 Gernh.), Auct. ad Herennium. IV: 33, Glassius, p. 1277 ed. Dathii.

que potest in Jesu orationibus, e. g. *Matth.* V: 2-9 et *Matth.* XXIII: 13-17, alibi. - Quum vero hae minoris sint momenti, transeamus ad sententiarum figuras, quae magis e propria cogitationum forma pendent atque ideo plurimum conferunt ad vim et venustatem elocutionis augendam.

Nunc autem revera consilii inops sum nesciens quomodo hanc argumenti partem aggrediar. Faciamne initium paucis exemplis afferendis e multitudine contentionum s. antithetorum, quibus Ejus orationes abundant? Indicabo locum in oratione montana, ubi: *μὴ θησαυρίζετε ὑμῖν θησαυροὺς ἐπι τῆς γῆς, ὅπου σὴς καὶ βρῶσις ἀφανίζει, καὶ ὅπου κλέπται διορύσσουσι καὶ κλέπτουσι· Θησαυρίζετε δὲ ὑμῖν θησαυροὺς ἐν οὐρανῷ, ὅπου οὔτε σὴς οὔτε βρῶσις ἀφανίζει, καὶ ὅπου κλέπται οὐ διορύσσουσιν οὐδὲ κλέπτουσιν.* (*Matth.* VI: 19, 20), - omittere mihi non liceret gravissimas antitheses, quas reperimus: *Matth.* V: 15; VII: 9, 10; - X: 34, 35; - *Luc.* XI: 11, 12; - XXIII: 31; - *Joh.* III: 12; - VI: 49 sqq. (1) - VII: 23, aliasque.

Dicamne de pulcherrima gradatione s. climace, quae *Matth.* XVIII: 10 sqq. reperitur, ubi sect. 10 legimus, Angelos in coelo tutelares esse genios ac

---

(1) Egregie van Herwerden ad h. l.: „Treffende tegenoverstelling! Zijne menschheid offert Hij als geheel voor de menschheid op. Het is hier leven om leven. Door eene volkomene zelfverloochening en zelfverzaking van Zijnen kant, zal zij het ware, eeuwige leven gewinnen! caett. *Het Evangelie van Johannes in deszelfs schoonheid beschouwd*, Tweede stuk p. 134.

patronos eorum, qui animi modesti humilisque sunt, - sect. 11 porro Dei Filium hominis iis patrocinari, - et tandem sect. 12 sqq. eandem curam etiam Patri coelesti tribui? - Iterum memorandae nobis essent innumerae periphrases et paraphrases, quarum jam supra quaedam attulimus specimina.

Malumus igitur paullulum morari in Jesu ὑποτυπώσεσι s. descriptionibus, quae rerum consequentium continent perspicuam et dilucidam cum gravitate expositionem, ita ut non narrari, sed geri, atque ab auditoribus cerni potius quam audiri videantur. Celebramus igitur illas in Christi orationibus obvias descriptiones, quibus miro et laudabili modo auditorum mentem atque animum devinciebat scopumque suum attingebat. Veritatem, officium vel consilium inculcare studet, et formas suas e natura vitaque humana sumit. Reputemus modo Ejus parabolas, illam praesertim de filio perdito: quam vivis ac naturalibus coloribus, at simul quam vere omnia depicta sunt! Tota expositio tam egregie convenit diversis hominum ingeniis, ut vitam ipsamque naturam intueri oculisque cernere nobis videamur. - Consideremus *Luc.* XIV : 12 sqq. Jesus convivio adfuit; hac occasione utitur ad dominum hortandum, ut erga pauperes et miseros quoque benignus sit, ac pigmenta coloresque petit e scena, qua circumdatur, atque suum praeceptum ita exornat, ut hospes quid facere eum oporteret non audiret, sed oculis videret animoque cerneret. - Reputemus *Luc.* XVII: 7-10. Postquam praecedentibus sermonibus ad beneficia discipulos exa-

cuit, hoc nunc exemplo Apostolos avocare sibi proponit ab animi superbia et jactationis affectu, iisque omnem gloriandi materiam adimit, imagine famuli arantis aut pascentis monstrando, qui ex agro domum revertitur et nullo honore vel gratia dignus censetur ob praestitum laborem. - Porro *Joh.* XV : 1 sqq., *Luc.* XII : 35 sqq. si consideramus pluresque ejusmodi descriptiones, aptam verborum electionem, elegantem variarum imaginum dispositionem, egregiam picturarum elaborationem admiramur. Et quum Ejus metaphorae non solum eo se commendant, quod e notis et saepe praesentibus rebus petitae sunt iis praeterea tantam etiam gravitatem addere sciebat, ut omnibus audientibus intellectu faciles atque suaves essent. (1)

Praeterquam vero quod descriptionis brevitate excellunt, aliud etiam de iis est animadvertendum. Domini enim ὑποτυπώσεις id proprium sibi habent, ut saepe temere projectae esse videantur sine ullo orationis vinculo, vel nulla sane auditorum ratione habita. Accuratius autem eas considerantes, varias conditiones ac personas tam subtiliter elaboratas esse animadvertimus, ut vel imperitissimus auditorum ea, quae ad se pertineant, ex iis sibi sumere possit, quo vis hujus figurae admodum augetur. Pulcherrimum sane exemplum offenditur *Luc.* XIV : 15-24, ubi Jesus probat

(1) Cff. Quinctil. L. IX : 2, Glass. p. 1373. ed. Dath; Auct. ad Herenn. IV : 39. Pluribus exemplis si quis indigeat, adeat *Matth.* XIII : 36-50; XVIII : 23 sqq., XXI : 33, *Luc.* X : 30 sqq., XII : 16 sqq, XIII : 24 et loc. parall.

non sufficere cum beatum praedicare, qui convivetur in regno Dei, sed etiam postulat ut vox clamantis non repudietur, qui omnes ad convivium invitet. Cujus parabolae adaptatio haec est: quemadmodum nobiliores ad coenam vocantur, sic vos a me, Patris legato, invitamini ut regni coelorum participes sitis, - quemadmodum nobiliores, sic vos quoque vos excusatis, bona terrestria pluris facientes, quam aeternam vestram ipsorum salutem. Hanc ob causam me converto ad portitores atque abjectos e populo, sicut convivii dominus se ad humiles miserosque convertit. Ad me venerunt, ideoque regni divini beatitudine fruentur; vos contra perpetuo ea carebitis, quamquam primi vocati estis! Talis lingua figurata necessario praesentibus animos percutere debuit, multo magis quam si iis idem propriis verbis dixisset; talis forma iis meditandi materiam praebere debuit et nonnullorum forsan aures ac pectora reclusit exhortationibus Sospitatoris. Haec vero de ὑποτυπώσεσιν in Jesu orationibus obviis satis sint.

Primarium Jesu oratoriae eloquentiae ornamentum pulchrae Ejus atque praeclarae comparationes constituunt. Comparabat v. c, Deum cum patre, cum rege, cum judice, cum creditore, - hominum cognationem cum Deo liberorum, subditorum, famulorum, debitorum conditioni assimulavit. Comparabat se ipsum cum medico, sponso, pastore; hominem vero cum aegroto, conviva nuptiali, ove. Comparabat scriptorum peritos et Pharisaeos cum dealbatis se-

pulchris; (1) diligentem suam homines conservandi curam ac laborem cum gallina pullos suos congregante et alis fovente. (2) Comparabat stultitiam ac puerilem Judaeorum obstinationem cum pueris in foris sedentibus, καὶ προσφωνοῦσι τοῖς ἑταίροις αὐτῶν, καὶ λέγουσιν· Ηὐλήσαμεν ὑμῖν, καὶ οὐκ ὠρχήσασθε, ἐθρηνήσαμεν ὑμῖν, καὶ οὐκ ἐκόψασθε. (3) Comparabat suos sectatores omnesque, qui re vera ejus discipuli erant cum homine, domum suam in saxo aedificante; (4) nitorem et splendorem diei suae patefactionis cum fulmine, quod ab altera parte sub coelo fulminat et usque ad alteram sub coelo splendet. Comparabat necessitudinem, quae hominem inter ac se ipsum intercedit cum sua ipsius et Patris cognatione. Pulchra sane et audax comparatio, qua sublime ac spirituale omnium suarum enunciationum consilium magis aperit. (5)

Maxime quoque oratorie Sospitator in orationibus contra adversarios saepius ea adhibebat, quae vèl ab iis allata, vèl prius erant concessa, - quales argumentationes argumenta κατ' ἄνθρωπον audiunt, vel a rhetorica inter figuras receptae ἀντιστροφαί vocantur. (6)

---

(1) *Matth.* XXIII: 27.

(2) *Matth.* XXIII: 37.

(3) *Matth.* XI: 16, 17.

(4) *Luc.* VI: 48.

(5) Plura inveniuntur exempla *Matth.* X: 16 (*Luc.* X: 3), *Matth.* XVII: 20 (*Luc.* XVII: 6), *Luc.* XXI: 35, alibi. Cf. de comparationibus Auct. ad Herenn, IV: 45 sq.

(6) Digna quae cognoscantur sunt ea, quae de hac figura reperiuntur apud Theremin: *Ber. e. Tug.* p. 56 sq.: „Man

Ut unum alterumque exemplum hujus figurae afferamus, videatur *Luc.* XI: 17, 18 coll. sectt. 15 et 16. Legimus Pharisaeos ac Scribas Jesum accusare, quod daemones per Beelzebul, daemonum principem, ejiceret. Quam criminationem ut refellat Dominus, quam maxime syllogistica ratione ita disputat: πᾶσα βασιλεία ἐφ' ἑαυτὴν διαμερισθεῖσα ἐρημοῦται, quod omni dubio majus est; - εἰ δὲ καὶ ὁ Σατανᾶς ἐφ' ἑαυτὸν διεμερίσθη, quod omnino locum haberet, si Ego daemones eorum praefecti ope expellerem, πῶς σταθήσεται ἡ βασιλεία αὐτοῦ; Sic igitur malignam eorum calumniam prorsus refutat. Haec Ejus refutatio omnibus audientibus plane persuadere debuit et inimicos prorsus confundere. Aliud exemplum petimus e *Joh.* VII: 21-24. - Christi insidiatores in Eum invehebantur, quod Sabbathi die aegrotum sanaret Eumque propterea interficere studebant. Dominus vero iis objicit: vos quidem ex lege Mosaïca ἐν σαββάτῳ περιτέμνετε ἄνθρωπον, - me vero damnatis, quod eo die ὅλον ἄνθρωπον ὑγιῆ ἐποίησα. Ad vos tantum pertinet, uni corporis membro beneficium tribuere; ad me contra, mise-

führt dem Zuhörer seine eigene Autorität an, wenn man ihm zeigt, dass er durch die Zurückweisung einer gewissen Wahrheit mit sich selbst und mit der Ueberzeugung, die er bei anderen Gelegenheiten geäussert hat, in Widerspruch stehe. Diese Argumentation, die durch ihre Kürze und ihre überzeugende Kraft einen so grossen Vorzug vor den philosophischen Demonstrationen behauptet, ist dem Redner sehr zu empfehlen, und, um sie mit Erfolg anwenden zu können, muss er die in der Menge verbreiteten Vorstellungen stets vor Augen haben, und darin so viel als möglich eindringen."

ricordiam erga omnem hominem exercere. Profecto! si ita judicatis, κρίνετε κατ' ὄψιν, atque ita malum et perversum judicium fertis; judicium vestrum non aequitate nititur, sed erroris fructus est! - (1)

Maxime vero Christi orationibus vitam, imo pondus ac gravitatem et persuasionis vim afferebant frequentes et variae interrogationes. Haec figura vulgo ardentem, penitus commotum animum prodit, indicat summam fidem veritatis eorum, quae posita sunt, atque efficaciorem accipit vim, si adhibetur, prouti Jesus ea saepius usus est, ad interrogationem Ipse respondens. (2) - Unum afferamus exemplum: *Joh.* VI: 61b, 62. Quae Dominus de edenda carne sua et de bibendo sanguine suo dixerat, multos discipulos offendebant, quia repugnabant opinionibus et exspectationi, quam de Messia fovebant. Quibus hac de re murmurantibus dixit: τοῦτο ὑμᾶς σκανδαλίζει; Qua subita interrogatione, si quidem summam Jesu majestatem capere poterant, percelli et ad summam

(1) Pluribus si quis indigeat exemplis, adeat *Matth.* XII: 11, XXII: 31-33, XXV: 26, 27; *Marc.* II: 28, alibi. Varia argumentationum et refutationum, quibus Jesus usus est, genera fuse exposuit Vir Vener. Broes, in libro, qui inscribitur: *Proeve van Aanmerkingen over de leerwijs van J. C.* p. 30-34, ad quem eos, qui plura de hoc argumento cognoscere cupiant, relegamus.

(2) Operae pretium est ad hunc locum ea conferre, quae Broes, l. l. p. 17, 18, de vario apud Jesum interrogationum usu indagavit atque exposuit, qua propter ea, quae ibi legi possunt, h. l. non repetimus.

reverentiam Ejus adigi debebant. Ἐὰν οὖν θεωρῆτε, ita pergit, τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου ἀναβαίνοντα, ὅπου ἦν τὸ πρότερον; Quid tum facturi essent, oblique rogare voluit et eo ipso discipulorum animos commovit. Revera! Ex ejusmodi sermonum conversionibus agnoscimus denuo oratorem plene animatum (1).

Ita praecipuos tropos ac figuras in Jesu quoque orationibus reperimus. Supervacaneum esse opinor minores praeterea memorare, ut Aporiam (*Luc.* VII: 31), πρόληψιν, qua id, quod objici potest, anticipatur et diluitur (*Joh.* V: 31), ἀποστροφήν (*Matth.* XI: 21, 23, *Luc.* X: 13, 15, *Matth.* VII: 5), προσωποποιΐαν (*Matth.* XXIII: 13; *Luc.* XVI: 24-31) ἀποσιώπησιν (*Marc.* VII: 11), exclamationem (*Matth.* XV: 28, XXI: 29) alias. Haec igitur de oratoria ac rhetorica dicendi forma Conservatoris nostri sufficiant. Quatenus autem haec forma se commendet mox explorare conabimur. Propositum enim nobis erat pauca insuper afferre de dramatica Christi eloquentia.

Non immerito aliquis e nostris praestantissimis oratoribus dixit, locum ubi oratio habetur et auditur, scenam esse rei gestae, in qua et orator et auditores personae sunt agentes. Actio illius, ita pergit, auribus atque oculis percipitur. Quae vero hi

(1) Vidd. praeterea: *Luc.* XIII: 15-17; *Matth.* XI.: 8 sqq., alibi. Conff. Auct. ad Herenn. IV: 24 et Quinctilianus, IX: 2.

dicunt, concludunt, agunt, tacite in eorum animis fiunt, in iisque latent. (1) Quicunque coram variis auditoribus prodit, eo consilio, ut eos commoveat et percellat, dramatice loqui debet èt dispositione èt elocutione sententiarum, i. e. ei non licet se ab auditoribus segregare, sed cum iis plane se conjungere oportet. Nulla frigida et abstracta oratio ad auditores, sed dialogus cum iis ei habendus est. (2) Ipse eorum objectiones afferat, eosque inducat quaestiones proponentes, ad quas respondent auditores, vel quae ab ipso oratore solvuntur. In descriptionibus et allegoricis narrationibus personas loquentes inducat, iisque talia verba tribuat, quae cum earum indole vel partibus concinant. (3)

Talis Domini orationum quoque forma erat dramatica. Testimonio sint frequentes interrogationes, dialogismi, apostrophae atque προσωποποιΐαι, quae apud Eum inveniuntur. Testimonio sint *Matth.* VI : 31, - *Matth.* VII : 31, - 22, 23; longe plurimae parabolae (*Luc.* XV : 11, - XVI : 19 sqq., - XVII : 7, 8, - XVIII : 2 sqq.) et frequentes cum vario auditorum genere sermones (4) (*Marc.* X : 17-34). In

---

(1) Verba Cl. Abm. des Amorie v. d. Hoeven: *Redevoeringen.* p. 130.

(2) Conf. Theremin: *Dem. en Mass.* p. 39.

(3) Haec accuratius exposita sunt a Theremino, in libello: *Ber. e. Tug.* p. 188, qui igitur conferatur.

(4) Cf. Broes, qui hac de re monet: „Onder de redenen van den Heiland munten uit zijne gesprekken. Een goed aantal derzelve heeft de Evangelische geschiedenis ons bewaard,

Jesu orationibus dialogus non tacite, pedetentim ac lente procedit; sed quaecunque dicit fervoris, vigoris, vitae plena sunt, tam colore quam forma dramatica praedita; (1) quibus Jesu mentem consiliumque perspicimus. Sentimus Ejus animum rebus divinis redundantem, ac sibi conscium muneris sui, homines beatos reddendi. Ex iis etiam cognoscimus quanto amore laborem suum perficeret, ut audientes verbis suis impleret, animosque ita temperaret duceretque, ut cum suo plane concinerent.

Christi autem orationum formam considerantes, de earum praestantia demeremus, si non paulisper tantum animum converteremus ad modum ac characterem, quo omnia sua praecepta, exhortationes, consolationes proposuit. Semper loquebatur cum dignitate et sublimitate. Omnibus, quae dicebat, gravitas ac majestas tanquam notae inerant. Numquam oblitus, quis esset, orationis tenor tum personae quam tuebatur, tum legationis quam obibat dignitate, eo evehebatur, ut idonea vi ac pondere verum docere, suadere, exhortari, reprehendere, excitare, consolari, admonere, minitari, instare, imo jubere posset. Hoc non solum satis superque testificatur orationum Ejus argumentum, sed earum quoque oratoria ac drama-

---

hetgeen we aan den dramatischen toon, die overal in dezelve behouden is, gedeeltelijk verschuldigd zijn." l. l. p. 26.

(1) Cff. *Matth.* XXIV : 23 sqq.; XXV : 31 sqq.; X : 11 sqq.; XI : 7, inprimis *Luc.* XIII : 54-59.

tica forma. Sententiarum enim ac periodorum conversiones, de quibus modo diximus, - verborum usus ac collocatio, imo tota dictionis forma ex sublimi gravique illa animi temperatione fluxerunt. - Iis non tantum intelligimus illud toties in Sospitatoris orationibus occurrens: ἀμὴν, ἀμὴν λέγω ὑμῖν, sed mentem, quam Ejus verba spirant, colorem, quo lucent ejus dicta.

Tenor ille gravitatis ac dignitatis cernitur in conscientia sublimis ac divinae dignitatis suae, quae Patris legatum incitabat. - Legimus e. g. μὴ φοβηθῆτε ἀπὸ τῶν ἀποκτεινόντων τὸ σῶμα, - ἔρχεται ὥρα, καὶ νῦν ἐστιν, ὅτε οἱ νεκροὶ ἀκούσονται τῆς φωνῆς τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ· καὶ οἱ ἀκούσαντες ζήσονται, - οὐ πᾶς ὁ λέγων μοι, Κύριε, Κύριε, εἰσελεύσεται εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν (1) - Sic etiam praestans illa in oratione montana exhortatio: εἰ δὲ ὁ ὀφθαλμός σου ὁ δεξιὸς σκανδαλίζει σε, ἔξελε αὐτὸν, καὶ βάλε ἀπὸ σοῦ· συμφέρει γάρ σοι ἵνα ἀπόληται ἓν τῶν μελῶν σου, καὶ μὴ ὅλον τὸ σῶμά σου βληθῇ εἰς γέενναν· κ. τ. λ. (2)

Quanta dicendi majestas in una illa voce: Λάζαρε, δεῦρο ἔξω, - Ἡ παῖς, ἐγείρου, - vel ubi ad saevientes maris undas loquitur: Σιώπα, πεφίμωσο. (3) - Quanta persuasione Pharisaeis Scribisque illud οὐαὶ ὑμῖν injunxit, atque μακαρίους pronunciat eos, qui corde mundi sunt, Deum verentur, ipsiusque exemplum imitari student. Profecto! ἦν διδάσκων ὁ Ἰησοῦς ὡς

---

(1) *Luc.* XII: 4; *Joh.* V: 25; *Matth.* VII: 21.

(2) *Matth.* V: 29, 30.

(3) *Joh.* XI: 43, *Luc.* VIII: 54, *Marc.* IV: 39.

ἐξουσίαν ἔχων, καὶ οὐχ ὡς οἱ Γραμματεῖς, (1) ubi dicebat de rebus regni coelorum, de fatis suae doctrinae, de momento atque effectu sui Evangelii. Auctoritate divina verba faciebat, ubi profitetur: ἐγώ εἰμι τὸ Φῶς τοῦ κόσμου· ὁ ἀκολουθῶν ἐμοὶ, οὐ μὴ περιπατήσει ἐν τῇ σκοτίᾳ, ἀλλ' ἕξει τὸ Φῶς τῆς ζωῆς, - vel ubi pronunciat: ὁ ἑωρακώς ἐμὲ, ἑώρακε τὸν πατέρα. Ἐγὼ καὶ ὁ πατὴρ ἕν ἐσμεν. (2)

Praeterea etiam loquebatur intimae persuasionis, perseverantiae voce sibi unice propria, ubi res futuras patefecit, ubi suas ad Pharisaeos allocutiones incepit minis ac castigationibus, (3) iisque nuntiavit: Τύρῳ καὶ Σιδῶνι ἀνεκτότερον ἔσται ἐν ἡμέρᾳ κρίσεως, ἢ ὑμῖν, - ubi adversarios rogat: τίς ἐξ ὑμῶν ἐλέγχει με περὶ ἁμαρτίας; (4) Et ubi secundum Johannem saepius innocentiam suam, dignitatem, justitiam, divinitatem legationis suae contra auditorum dubitationes atque ἀπιστίαν vindicat; - vel ubi in longinquum providens progessus sui laboris, triumphum, glorificationem suam auguratur, tum sane firmam certamque intimae persuasionis formam, qua illas orationes necessario eloquutus esse debuit, non agnoscere non possumus.

Quae persuasio tam alte Ejus animo ac menti impressa fuit, ut, quemadmodum τινες ἐκ τῶν Ἱεροσολυ-

---

(1) *Matth.* VII : 29.
(2) *Joh.* VIII : 12, XIV : 9, X : 30.
(3) *Luc.* XI : 39 sqq. *Matth.* XI : 22, 24.
(4) *Joh.* VIII : 46.

μιτῶν ἔλεγον, palam ac libere, παῤῥησίᾳ, loqueretur. (1) Etiamsi nobis nihil e Sospitatoris nostri orationibus relictum esset praeter orationem illam, quae invenitur *Joh.* V: 19 sqq., (2) vel orationem in templo habitam, et nobis Cap. XXIII: Evang. Matth. servatam, vel sic tamen non dubitaremus contendere, Christum omni tempore summa παῤῥησίᾳ, et sine ullo hominum metu prorsus veritatem eamque solam denuntiasse. Nequaquam certe erat doctrina moralis, quae perversis voluptatibus aequalium suorum inserviret, neque anxia veritatis involutio, quae opinionibus praejudicatis indulgeret omnique ratione parceret, vel mollities, quae luxuriae principum obtemperaret, aut taceret, quando loqui debebat. Testimonio sit istud totius repetitum: ἠκούσατε ὅτι ἐῤῥέθη τοῖς ἀρχαίοις κ. τ. λ., cui identidem opponebat τὸ: ἐγὼ δὲ λέγω ὑμῖν κ. τ. λ.(3)

---

(1) *Joh.* VII: 26.

(2) Conff. ad hanc orationem praestantissima cl. Vinkii verba: *Het Evang. v. Johannes*: „Hij verontschuldigt zich niet over hetgeen Hij gedaan en gezegd heeft; Hij trekt Zijne verklaring: mijn Vader werkt tot nu toe en ik werk, niet terug noch brengt den Joden onder 't oog, dat zij te veel uit haar afleidden, maar bevestigt ze en handhaaft Zijne eer tegen over Zijne beschuldigers; doch doet dit op zulk eene wijze, dat zij hoorden en gevoelen moesten, dat de eer Zijns Vaders Hem boven alles ter harte ging, terwijl Hij hun tevens onbewimpeld verklaart, dat zij, die voor de eer van God zoo zeer schenen te ijveren, geene liefde voor God hadden, maar slechts zichzelven en hunne eigene eer bedoelden," et praeterea Doct. v. Oosterzee, *L. v. J.* T. II. P. I. p. 192.

(3) *Matth.* V.

Testes sint *Luc.* XI : 46, 47, *Joh.* VI : 26, 60 alia. Quapropter non dubitamus Wiessneri (1) subscribere testimonium: »seine grosse Wahrheitsliebe, sein Eifer und Ernst gegen schädliche Irrthümer, gegen Heuchelei und Laster sprachen sich überall eindringend aus; - quantam autem inde utilitatem ceperit oratorica ac dramatica Jesu orationum forma quis est qui non videat et persentiscat?

Restat ut animadvertamus Jesu παῤῥησίαν numquam fines suaviloquentiae transgredi, Eumque cum divina majestate ac gravitate benevolentiam quoque et benignitatem conjungere. Pulchri venustique, quo pollebat, amor Eum semper intra verecundiae fines retinebat. Affectus, quibus movebatur, significare, indignationem dolorem, timorem, fastidium, imo horrorem eloqui atque ostendere. Interdum etiam vehemens erat, semper vero Ejus sermones venustate excellebant, quoniam benigna ac benevola sinceraque severitas ex Ejus ore loquitur. Cum vi contra peccatum pugnabat, peccantem vero laedere aut offendere nolebat. Semper modesta est et venusta Ejus oratio; omnia enim, quae dicit proveniunt ex animo, quem res humanae tangunt, et qui plane pro Dei honore ac gloria, et pro uniuscujusque hominis peccantisque salute vivebat. Hanc ob causam rarissime apud Eum perpetuae istae ac frigidae disputationes reperiuntur, quae vulgo parum movent, neque hominibus incultis apud quos dicebat, accom-

(1) In opere laud: *Geschichte*, rell. p. 72.

modatae erant. (1) Numquam Dominus ad auditorum ingenium tantum se convertit. Totum hominem Ejus orationes occupant èt mentem èt animum èt sensus. Itaque animat, domat, regit omnia, sive laetatur virtutibus et rebus discipulorum suorum laude dignis, sive dolet vitiis aequalium, sive sollicitus est de incredulis et corde obduratis; sive optat omnes servare et ad Deum reducere, sive precatur pro futuris Apostolis, quos sõlos relinqueret, semper Ejus verba ex animo proficiscuntur. Sic „Θάρσει θύγατερ· inquit, ἡ πίστις σου σέσωκέ σε." (2) Et quum aliquando matrem dolentem intueretur, ἐσπλαγχνίσθη ἐπ' αὐτῇ, καὶ εἶπεν αὐτῇ· Μὴ κλαῖε. (3) Porro. Quis est, qui non in verbis benignis, amore plenis, benevolentiam agnoscat, ubi lacrimans Hierosolymas, et pulcherrimum templum exclamat: „ὅτι εἰ ἔγνως καὶ σὺ, καὶ γε ἐν τῇ ἡμέρᾳ σου ταύτῃ, τὰ πρὸς εἰρήνην σου. (4) Et in hoc: Ἱερουσαλὴμ, Ἱερουσαλὴμ, ἡ ἀποκτείνουσα τοὺς προφήτας, καὶ λιθοβολοῦσα τοὺς ἀπεσταλμένους πρὸς αὐτὴν, ποσάκις ἠθέλησα ἐπισυναγαγεῖν τὰ τέκνα σου, ὃν τρόπον ἐπισυνάγει ὄρνις τὰ νοσσία ἑαυτῆς ὑπὸ τὰς πτέρυγας, καὶ οὐκ ἠθελήσατε; (5) non minus doloris atque

(1) Cf. ad h. l. ea, quae Hemsterhusius in Oratione de Paullo Apost. (quae exstat in Hemsterhusii et Valckenarii orationibus, annotationibus, p. 31, 32) de benevolentia et gravitate, quae in Apostoli epistolis cernitur, dicit.

(2) *Matth.* IX : 22.

(3) *Luc.* VII : 13.

(4) *Luc.* XIX : 42.

(5) *Matth.* XXIII : 37.

misericordiae notio inest, quam in benevola, amica, caritatis plena invitatione: Δεῦτε πρός με πάντες οἱ κοπιῶντες καὶ πεφορτισμένοι, κἀγὼ ἀναπαύσω ὑμᾶς. (1) Innumera praeterea afferre possumus exempla, v. c. *Joh.* V: 45; - *Matth.* V: 3-12; *Luc.* XXIII: 28, 29, alia. Laudamus tandem unam vocem: Μαρία. (2) a Jesu dictam ad discipulam, quam unam omnium maxime amabat, quum Eum, vel Ejus saltem corpus sedulo quaerebat. Quanta vis in uno illo vocabulo, quod Sospitatoris animi motum prorsus nobis depingit. Dominus nempe eam videt, lacrumas fundentem, sepulchro circumerrantem. - Profecto! haec vera pulchritudo, haec sublimitas, quae animos percellit. Haec vera animi commoti est exclamatio! (3)

§ 2.

Quatenus haec forma Oratori sit Sacro imitanda?

Applicatio praesto est. - Orator Sacer in oratoria dispositione atque dictione sermonum suorum Dominum imitetur. Non negligenda sunt rhetorices prae-

(1) *Matth.* XI: 28.

(2) *Joh.* XX: 16.

(3) Praeclare de hoc argumento Wiessner, l. l. p. 72: „Dabei durchdrang seine Menschenliebe, seine Sorge für Menschenglück, die Schonung gegen Irrende und Schwache, die Milde gegen Gefallene jedes seiner Worte, und mit tiefer Rührung hörte man ihn von dem Verfalle der Religion und Sittlichkeit sprechen."

cepta, praesertim ubi de scopulis agitur, quos nobis evitandos ostendunt. Sed diligentem et repetitam lectionem orationum Christi, inprimis veram ac rectam habemus pulchri venustique sensum acuendi rationem, et justam rhetoricae atque aestheticae discendae viam.

Quid igitur eximiae oratoriae Domini eloquentiae virtutes nobis praecipiunt? - Primum numerum oratorium, suavem periodorum sonum, haud exiguum orationis ornamentum esse. (1) Orator sacer animum igitur advertat ad omnia, quibus illud assequi possit, non tantum in verborum delectu et dispositione, sed etiam in tota periodi compositione. Membra ita collocantor ut praeter elocutionis facilitatem, etiam gradatio quaedam cum certa longitudinis mensura et apta sonorum variatione oriatur. Inprimis caveat ne finis periodi subito abrupta sit vel ingrata: vocabula maxime numerosa atque sonantia, longiora etiam membra ibi recte collocentur, necesse est. Videat ne frequenter iidem occurrant soni, ingratam vitet quarundam litterarum concursionem, verborum copulationem, pronuntiatu difficilem. Abstineat a vocabulorum monosyllaborum et polysyllaborum accumulatione, a mala et inaequabili sententiarum et periodorum constructione, quae in multa membra sunt divisae, ac tandem a concursione verborum in periodorum fine. (2)

---

(1) Cf. ad h. l. Theremin: *Ber. e. Tug.* p. 198 sqq.

(2) Vid. Blair, *Lessen*, rell. T. I. p. 276 sqq.

Sed etiam ab altera parte cavendum est, ne hac in causa nimii simus, ac ligata fere oratione utamur. (1)

Eadem jam Christi exemplo didiceramus. Non semper enim Ejus dictio aequalis erat et dimensa, plerumque vero variabatur brevibus et concisis sententiis. Quapropter oratorem magnopere monemus sacrum: »Non semper utendum est perpetuitate, et quasi conversione verborum; sed saepe carpenda membris minutioribus oratio est." (2)

Sic etiam Troporum ac Figurarum lingua a suggestu sacro non est aliena, sed Magistri exemplum s. s. Antistiti est utendum translatis ac figuratis vocabulis sententiisque. - Sic auditorum attentionem augebit, eorum animos vehementius commovebit et audita firmius memoriae inculcabit.

Iis vero utatur orator sacer magno cum judicio. Sacra eloquentia nulla ornamenta assumit, nisi quae illius consilio conducant ac proposito faveant; et dum ingenio placent, simul aliquid afferant ad mentem erudiendam animumque movendum. Tropi ac figurae, quantumvis auditoribus grata sint, per se nihil valent; et voces sunt inanes, quae tantum oculos praestringunt, nisi ab ipsa materie et argumento vires accipiant.

Tropis utatur orator sacer, sed modice; verum adhuc valet Quinctiliani (3) effatum: »Sunt, qui, neglecto rerum pondere et viribus sententiarum, si

(1) Cf. Theremin: *Ber. e. Tug.* p. 203.

(2) Ciceronis verba. Cf. Blair, *Lessen* rell. T. I. p. 231-234 et 254, 255.

(3) *Instit. Orat.* Lib. IX: 3. § 100.

vel inania verba in hos modos depravarunt, summos se judicent artifices, ideoque non desinant eas nectere: quas sine substantia sectari tam est ridiculum, quam quaerere habitum gestumque sine corpore." Num Evangelii nuncius pulcherrimum a Sospitatore datum exemplum negligeret, et inanibus istis, quales a Quinctiliano describuntur, oratoribus similis evaderet? Minime vero! Verbum Dei, quod denunciandum accepit, inane humanum reddere verbum ei numquam licebit. Non venari ei licet vanas hominum laudes eo quod oratione artificiose composita sententias enervet gravissimas.

Apto denique utatur iis modo! Etenim: »sicut ineptissimae sunt, quum immodice petantur, ita ornant orationem opportune positae." (1) Eloquentia igitur sacra, etiam ubi Jesu dicendi formae imitatio est, linguam figuratam non spernit, imo vero poscit ornamenta eaque desiderat. Nam non solum amat quae

(1) Vere Theremin: „wenn mann" inquit „die mächtigsten und gewaltigsten unter diesen Figuren bei geringen Veranlassungen verschwendet, oder sie unvorsichtiger Weise zu einer Zeit gebraucht, wo das Gemüth ein so heftiges Ergreifen noch nicht erträgt, so wird durch diese unangemessene Anwendung ihre Wirksamkeit gehemmt und vernichtet. Und da, um zu verhindern, dass der Affekt erkalte, die Gedanken selbst in stätiger Reihe fortlaufen müssen, so ist es zu demselben Ende auch nothwendig, dass die Wendung, die der eine Gedanke genommen hat, sich in diejenige, womit der folgende Gedanke auftreten wird, leicht und natürlich verliere." *Ber. e. Tug.* p. 194, 195.

Conff. et quae monuit Palmius, in Oratione: *Over den waren aard der welsprekendheid*, p. 67-70.

vera atque utilia sunt, sed appetit quoque atque acquirere studet quae pulchra sunt. - Propterea igitur orator sacer pulchra arripiat, ubi sua sponte se offerunt, necesse est; numquam vero ea quaerat. Instrumentum ei sit, quo religionis sensum ac salutem audientium augeat. Tum demum vere oratorie eloquens erit, et numquam de eo dici poterit:

»Il n'a qu'à rougir de sa gloire," (1)

non enim auditoribus otium relinquet, rotunditatem vel concinnitatem periodorum, delectum verborum, venustatem imaginum, aptitudinem conversionum memoria tenendi, observandi vel admirandi. Coetus sublimi veritate nimis devinctus erit, quam ut esset:

»Tranquille assez pour l'applaudir." (2)

---

(1) De La Motte: *Ode sur l'Eloquence.*

(2) Acuta et vera sunt Theremini verba, unicuique bene observanda, qui tamquam orator prodit: „Es ist Eitelkeit, wenn man sie zum Prunk und zur Zierde verschwendet; es ist Stumpfheit des sittlichen Gefühls, wenn man sie am unpassenden Orte gebraucht; es ist Trägheit im Handeln, Unfähigkeit sich für hohe Ideen zu begeistern, wenn man einem Gedanken nicht die kräftigen Wendungen zu geben versteht, durch welche allein er den beabsichtigten Eindruck hervorbringen kann." *Ber. e. Tug.* p. 195 sq. coll. Cicero: *Orator.* C. XXXIX, XL et Ernesti: *Opusc. Oratt.* p. 28, 29.

Denique animadvertendum esse nobis videtur, nos in disquisitione, de Tropis ac Figuris, a Jesu adhibitis, iisque generatim oratori sacro commendandis, libentissime ad species descendere voluisse. Abusus vero et peccata, in quae orator in singulis tropis vel figuris adhibendis incurrere possit, nostra scriptione indicare omisimus; praeterquam enim quod tale quid hic inutile ac supervacuum fuisset, insuper fortasse etiam te-

Si igitur orator sacer, qui Christum sibi exemplum proposuit, eo sensu oratorie dicit, non minus

---

meritatis accusandi essemus, quod munus a tot rhetoricis atque homileticis tam egregie perfectum susceperimus. Qui tamen de his tropis ac figuris, quales in Christi orationibus inveniuntur eorumque imitatione, oratori sacro commendanda, aliquid, quod operae pretium est, legere cupiant, adeant Heringa *over het prediken naar de algemeene vatbaarheid*, in *Kerk. Rdvr. en Raadg.* T. III. P. II. p. 100-122.

Praeter Troporum ac Figurarum recte et acute ab hodiernis oratoribus sacris usurpatorum exempla ab eo allata, nobis indicare liceat, tanquam Antithetorum specimina: doct. v. Oosterzee sermones, Vol. II. p. 45: „Wij zouden bijna wenschen een' sluijer te werpen over dit ijzingwekkend tafereel, digter dan het spotkleed, straks om Jezus' schouders gehangen, p. 55: Wel mogt de Hemel in U een welgevallen hebben, man van smarte, die daar stond met bloedvlekken op het gelaat, maar met geen enkele schandvlek op het geweten; met distels op uw hoofd, maar zonder distels op den akker uws harten! Snoere men vrij zijne leden met touwen en kluisters te zamen, zijn geest in geene banden te sluiten, verheft zich onbelemmerd en vrij tot de gewesten des lichts. Ruische het zegelied der spotternij in zijne ooren, geen spot of geen hoon rukt de onwankelbare overtuiging uit zijne ziel: ik ben toch een koning! Buige zich zijne kruin onder de smartelijkste hoofdwrong, die ooit een vorst heeft gedragen, onbeneveld staart zijn blik op de kroon, die daarboven hem wacht. Rukt hem dan vrij het gewaad van de leden, laaghartige krijgsknechten, den adelbrief zijner grootheid ontrukt gij hem niet. Gij kunt Hem vloeken, toch zal Hij in liefde u zegenen; gij kunt Hem slaan, Hij zal uwe hand niet doen verdorren; gij kunt uw vernuft scherpen, wie Hem het bitterst zal honen: des te eer zal Hij bidden, de handen over zijnen rietstaf gekruist: Vader! vergeef het hun", — et p. 61. „Daarom dronk Hij bespottingen in als water, opdat Hij

operam dabit, ut orationes suas in formam dramaticam redigat. Sic igitur dicet ille, ut se ab auditoribus nullo modo sejungat, neque monologum

---

ons naar het water des levens zou geleiden; daarom leide Hij den spotmantel niet af, opdat Hij ons met den mantel des heils zou bekleeden; daarom droeg Hij den rietstaf der schande, opdat Hij onder zijnen herderstaf ons tot den Vader zou brengen." Haec legentibus sponte sua Schelleri praeceptum nobis in mentem venit: „Antitheta sunt sirenes, quas dum sequimur, a vera via facile aberramus: sunt fructus nimis dulces, quibus, cum vesci homo coepit, non satiari potest. Hinc magna cautione et judicio opus est. (*Praec. stili bene Lat.* Pars II. c. 3 § 25 p. 718). - Egregia apud Borgerum legimus antitheta. Cf. e. g. ejus Orat. sacra secundum *Heb.* X: 25: „En inderdaad, voor het oog" et quae sequuntur p. 2. Edit. 6ae.

Ὑποτυπωσέων egregiarum exempla reperimus in Orationibus posthumis Abm. des Amorie v. d. Hoeven Abm^{i}. fil. p. 85, 86, et doct. v. Oosterzee, Vol. I. p. 137, conf. Voorhoeve: l. l. p. 65 sq., - interrogationum: ap. Borger, Vol. I. p. 9; - *προσωποποιΐων* egregium specimen in ultimo Abm. des Amorie v. d. Hoeven Ab. f. sermone. Cons. etiam Borgeri sermones (sec. *Joh.* XI: 11) Ed. 6^{ae} p. 169 infra, et in fine sermonis secundum II *Cor.* VII: 10, p. 75. Sic etiam Palmius mortem alloquitur in oratione sacra secundum *Luc.* IX: 24.

Acuminis et eloquentiae plenae Apostrophae inveniuntur in Borgeri orat. sec. *Joh.* XI: 11 (p. 162, 171). Si desideretur exemplum elegantis et egregie continuatae Metaphorae legatur introitus orationis a v. Oosterzee habitae sec. *Joh.* II: 13-18 (Oratt. s. s. Vol. I. p. 225 sq.) Et si quis dubitet, num oratori sacro liceat recte et apte narrationes usurpare, adeat exordium orat. s. v. Oosterzee, sec. *Joh.* XIX: 5*b*. (l. l. Vol. II p. 39).

habeat, qui prorsus ab auditoribus alienus est. (1) Sic igitur dicet, ut interrogando urgeat, ut rursus quasi ad interrogata sibi ipse respondeat, ut saepe cum iis, qui audiunt, nonnumquam etiam cum adversario quasi deliberet, ut hominum sermones moresque describat, ut personas quasdam loquentes inducat, ut fiat iis, apud quos dicit, familiaris: verbo ut non abstractam orationem, non nudam demonstrationem, non aridam explicationem proferat, sed ut tota oratio allocutio vel potius collocutio sit. Quapropter non tantum auditoribus coram neque ad auditores, sed cum iis, quos ante oculos habet, agendum est oratori sacro. Hos devinciet, attentos reddet, docebit, movebit. Quonam autem modo id facilius efficiet, quam eorum objectiones anticipando, errores memorando, opiniones praejudicatas exponendo, cogitationes conjectura assequendo, cupiditates proferendo, experientiam testificando, verbo: quonam modo id melius efficiet, quam eorum vitam cum internam tum externam describendo, ac si una cum oratore in scena suarum cogitationum, studiorum, actionum essent, et loquerentur cum oratore, ut orator cum illis. (2) Quando bene perspicit ac rite sentit sibi talem cum auditoribus esse necessitudinem, tum demum orator

(1) Leg. Theremin: *Ber. e. Tug.* p. 188. Cff. hac de re monuit v. Oordt, *Orat. laud.* p. 10.

(2) Quâ dicendi ratione nostra aetate praesertim excellit vir. Clar. F. J. Domela Nieuwenhuis. Cff. ejus *Sermones*, II. Vol. passim.

dramatica ratione dicere poterit, quemadmodum olim ejus Magister fecit. (1)

Unam tandem praeterea movemus quaestionem, quae quidem pertinet ad dicendi majestatem, gravitatem, persuasionem, libertatem, benevolentiam ac benignitatem. Haec ubique in Jesu Christi orationibus cernuntur. Num eodem igitur modo oratori sacro dicere licet? ... Sed quid anxie quaerimus? Evangelii nuncius, sacrorum Antistes, Dei Christique legatus, cui magnae messis die sui laboris ratio reddenda erit, ex gravitate sui muneris cum dignitate et constantia monere, erigere, consolari debet. Loquitur enim non tantum ut frater ad fratres, verum etiam auctoritate divina: mandatum suum a summo Rege accepit. Quum igitur magnum suae legationis momentum intelligit, atque animo penitus persentit Evangelium, quod denunciat, non suarum ipsius investigationum meditationumque summam esse, nec sapientiae humanae fructum, sed Dei sempiterni verbum, nec vult nec potest alio modo dicere, quam magna cum gravitate et veneranda severitate. Dicit enim nomine et auctoritate Illius, qui ei τὸ εὐαγγέλιον τῆς χάριτος τοῦ Θεοῦ credidit, quod denunciaret eadem mente, qua Ipse generi humano id patefecit. -

(1) Iterum manum retinere non possumus, quominus egregia dramaticae eloquentiae exempla afferamus ex orationibus sacris posthumis nobis eheu! tam cito abrepti Abmi des Amorie v. d. Hoeven, Ab. f. Cff. p. 39, 40, 46, 47, 124, 125, 163. Vid. inpr. oratio de I. *Sam.* XX: 3*b*. hujus eloquentiae omni jure specimen dicenda.

Nulla sane ratione sacerdos dicendus est, sanctitatis nube obvolutus, qui peccatorum παράκλητος πρὸς τὸν Πατέρα esse possit, quasi μεσίτης Θεοῦ καὶ ἀνθρώπων esset, attamen muneris Evangelici doctor et Christi minister simul dispensator esse debet μυστηρίων Θεοῦ, (1) quippe cui gratia sit data εὐαγγελίσασθαι τὸν ἀνεξιχνίαστον πλοῦτον τοῦ Χριστοῦ. (2)

Quantum igitur interest discriminis inter vulgarem ac sacrum oratorem! Hic »ab ipso quippe Deo legatus, qui homines adhortetur, gravitate utitur tanto officio consentaneâ. Nil non adductum ad movendum, percellendum, persuadendum: omnes sententiae ad hoc propositum accommodatae: plenae omnes fervoris, spiritus, persuasionis: verba interdum grandia, ampla, eademque lenioribus subinde et quasi conciliantibus excepta." (3) Ille dicit ut auditoribus placeat, illique licet benevolentiam auditorum implorare, modeste semper de se ipso suisque opinionibus dicere et omnia quae profert auditorum judicio submittere debet. (4)

(1) 1 *Cor.* IV: 1.

(2) *Eph.* III: 8. Vidd. praeterea: Spalding: *Nutt. v. h Pred.* p. 3 sqq., et Marezoll: *Best. v. d. k. Red.* p. 83.

(3) Praeclara Heusdii verba, in *oratione de antiqua Eloquentia cum Recentiore comparata*, p. 43, 44 coll. cum iis, quae monuit p. 17: „Habemus certe dicendi argumentum, sacrum dico, quod, Veteribus ignotum, unum est in paucis ad Eloquentiae gravitatem et vero majestatem accommodatissimum" et quae sequuntur.

(4) Vid. de praecipuo discrimine, de magna differentia, quae sacrum inter et vulgarem oratorem intercedit, praeclarum illud caput, quo agitur de eloquentia sacra in opere Timonis (de Cormenin): *Livre des Orateurs* p. 140 sqq.

Hic vero longe alio loco constitutus est. Ut vidimus, divinae voluntatis est nuncius eique non opus est ut urbane veniam invocet, quum peccantibus Christi auctoritate acclamat: Σήμερον ἐὰν τῆς φωνῆς (ἡμῶν) ἀκούσητε, μὴ σκληρύνητε τὰς καρδίας ὑμῶν· δεόμεθα ὑπὲρ Χριστοῦ, καταλλάγητε τῷ Θεῷ. (1)

Quodsi hac re plane imbutus est, tum etiam ad Domini exemplum vera cum persuasione et libertate dicit. Num vero orator sacer apte èt cum vi èt cum sensu èt ex animi conscientia Evangelium denunciare potest, nisi penitus persentiat se non humana mandata, praecepta, monita tradere, sed Dei Christique enunciare voluntatem? Qua persuasione si caret, nonne ipsa ejus conscientia ac sensus moralis ei linguam praecludent atque impedient, quominus eâ, quâ decet, libertate Dei judicia de hominum peccatis pronunciet, dicatque: οὐαὶ ὑμῖν ὑποκριταί ad eos, qui pietatem Christianam simulant. Numquam tenebras lucem appellabit, aut malum bonum, etiamsi propterea vitae voluptate hominumque laudibus privabitur. Nam οὐκ ἔστι μαθητὴς ὑπερ τὸν διδάσκαλον, οὐδὲ δοῦλος ὑπὲρ τὸν κύριον αὐτοῦ. (2) Neque honoris sedi neque paupertatis sellae parcentem loqui eum oportet de temperantia, justitia ac judicio extremo, - èt majoribus natu èt minoribus, èt amicis èt inimicis ille sit vir, qui τὸν φόβον τοῦ Κυρίου novit, ideoque uniuscujusque animi vitia fortitur aggredi au-

(1) *Hebr.* III: 15, - 2 *Cor.* V.: 20.

(2) *Matth.* X: 24.

det. Omnibus, nullo excepto, libere dicat Nathani verbum: אַתָּה הָאִישׁ (1)

Quod tamen ea ratione fiat, qua ab ipso factum est Sospitatore, cum lenitate, benevolentia ac benignitate. (2) In suggesto enim sacro ab omni acerbo verbo abstinendum est. (3) Quamvis sane Domini oratio subinde gravissima esset, semper tamen peccanti parcebat, simulatoribus non item, et ubi eos detexit vel in peccatum invehebatur, vel sic tamen accusari non potest, quod mordacibus vel acerbis verbis usus sit contra quemquam, vel hominem perditissimum.

Sic oratori sacro quoque non licet fastidii vel indignationis sensui prorsus indulgere, mordere vero et laedere plane ab eo alienum sit; nam praeterquam, quod Christi exemplum id jam praecipit, notum ei est religionis Christianae spiritum esse amoris ac clementiae. Non quidem ei licet ullum gravitatis vocabulum reticere, metu ne male sonet inter amoris voces, - vel vulnera obvelare, nondum

(1) 2 *Sam.* XII : 7. cf. Theremin: *Ber. e. Tug.* p. 153, sqq.

(2) Minime vero, prouti Boilavius de nonnullis poëtis, inter alios de Desmaretz de St. Sorlin, in Poëmate; cui titulus: *Poëme de Clovis*, cecinit: (Qu'ils)

Mettent à chaque pas (le lecteur) l'auditeur en enfer,
N'offrent rien qu' Astaroth, Belzébuth, Lucifer;
De la foi du chrétien les mystères terribles
D'ornements égayés ne sont point susceptibles:
L'Evangile à l'esprit n'offre de tous côtés,
Que pénitence à faire et tourments mérités."

L'Art Poétique, Ch. III.

(3) Quod rite probavit Marezollius l. l. p. 84.

sanata, sed evitare eum oportet omnia, quibus auditorum animi abalianentur. (1)

Ita profecto verus Evangelii minister, qui Christum ante oculos habet, numquam agit! Ad pauperes, sed opes quaerentes divinas, dicet: μακάριοι πτωχοὶ τῷ πνεύματι· ὅτι ὑμῶν ἐστιν ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν! Hiantia vulnera eorum, qui moesti sunt animo, unguet Christi Evangelio affirmante: »Dominus vulnerat quidem, sed sanat etiam neque umquam animum fractum sprevit." - Animo diffidentibus nuntiabit, Dominum habitare velle cum eo, qui animo est demisso. - Iis etiam, qui ad sepulchra lugent, dicet: »Ne lacrymetis, vobis etiam Deus est Deus tutelaris in periculis, pater orborum, viduarumque maritus, quid ploratis, quem quaeritis? - Ejusmodi voces fervoris plenas, imo ex pectore profluentes audientium animum prorsus capiunt atque ex hac terra ad coelum extollunt. »Tali ratione, o incredibilem benignitatem! o nunquam satis praedicandam clementiam! ipse Deus homines alloquitur, atque ut ad se revertantur invitat. Haec blanda fuit ipsius Jesu, dum in hisce terris versaretur, egenos et molestiis oppressos ad se allicientis vox. Num quid majus, quid antiquius habeat orator sacer, quam Hos imitari?" (2)

---

(1) Vid. Theremin, *Ber. e. Tug.* p. 148, cum quo dignissimus est, qui conf. *Proeve van Beantwoording* caett. door J. C. van Schermbeek, quae disputatio invenitur in diario *Boekzaal der Gel. Wereld*, m. *Januarii* a. 1844. p. 60-64.

(2) Van Oordt: Or. laud. p. 19.

PARS QUARTA.

DE JESU CHRISTI ELOQUENTIA, ORATORI SACRO IN PRONUNTIATIONE SIVE ACTIONE IMITANDA.

Ein würdevolles Aeussere, ein scharfer, aber liebevoller Blick, eine die innere Begeisterung abspiegelnde Gesticulation mögen die Kraft seiner Reden nicht wenig unterstützt und ihm, den Pharisäern und Schriftgelehrten gegenüber, den Lobspruch zugleich mit erworben haben: er sei *δυνατὸς ἐν λόγῳ*. Winer.

Sine hac (actione) summus orator esse in numero nullo potest; mediocris, hac instructus, summos saepe superare. Huic primas dedisse Demosthenes dicitur, quum rogaretur, quid in dicendo primum, huic secundas, huic tertias. Cicero.

Ce qui est le plus nécessaire, pour devenir habile orateur, et ce qui est le plus négligé, c'est l'action, la prononciation; et cependant c'est ce qui contribue davantage au succès de la parole écrite. Rollin.

PRAEMONENDA.

Quamquam nihil de Jesu Actione expresse scriptum reperitur, ex iis tamen, quae Evangelistae nobis tradidere, multa de ea indicia colligi posse opinamur, - quae indicia, a nonnullis neglecta, summi profecto momenti sunt habenda. In antecessum igitur vel ex iis, quae supra dicta sunt, vel secundum ea quae vulgo ponuntur et ab omnibus vera habentur, ostendere conabimur, Jesum ea facultate praeditum fuisse, ut voce et vultu, oculis et gestu, habitu atque universe actione verbis suis vim et efficacitatem addere valeret.

Primum igitur ad elegantem ac dignam actionem, corporis quaedam praestantia necessaria est. Evange-

listae nihil quidem certi hoc de re monent, (1) vel sic tamen a vero abberrare haudquaquam nobis videmur statuentes corporis aptam ac venustam figuram, habitus quandam dignitatem, vocem claram et sonoram, oris oculorumque decus quoddam Domino prorsus non defuisse. Hoc saltem verum haberi potest, Eum turpi quadam deformitate immunem neque quidquam in Ejus corporis habitu fuisse, quod vulgare, quod ingratum esset vel quod nauseam moveret. Hujusmodi enim vitium prohibuisset, quominus ullo sacerdotio fungeretur, et sine dubio ab adversariis hac illave opportunitate Ei objectum fuisset.

Descriptionibus vero, picturis vel imaginibus, quales nobis ab Ecclesia Christiana proditae sunt, fidem habere haud possumus, quippe quae adeo diversae sibique invicem contrariae, fabulosae atque dubitationis plenae sint, ut nullius omnino sint pretii. (2) Pos-

(1) Fortasse *Joh.* I : 14 argumento afferri possit. Nexus certe hujus loci ejusque consilium, denunciandi Dei filium hominem esse factum per carnis assumtionem, - dictio: *καὶ ἐθεασάμεθα τὴν δόξαν αὐτοῦ*, - sensus et fingendi ingenium discipuli talis, qualis Johannes erat, pugnant pro significatione externi quoque habitus, ab altera vero parte dictio nimis est incorporea ac sublimis.

(2) Cff. Justinus: *Apol.* II. c. 85, 88, - Clemens: *Stromat.* II. p. 440, - *Paedag.* III : 1, - Origenes: *contra Celsum*, VI: 75; - Tertullianus: *de carne Christi*, c. 9, - *adv. Jud.* c. 14; - Hieronymus in *Matth.* IX: 9; - Chrysostomus: *Opera* ed. Montf. V. p. 162, 163. De christi imaginibus cons. Winer: *Realwörterb.* in voce Jesus p. 576, ed. 3ae, et doct. v. Oosterzee: *L. v. J.* Vol. I. P. II. p. 501 sqq.

terioribus autem magisque accuratis descriptionibus locus in historia nullus esse potest, quippe quae pia monachorum fraus merito habeantur. (1)

Melius idcirco nobis videtur Jesu effigiem ex internis argumentis componere; arctum enim est vinculum pulchrum inter verum bonumque. Prouti abjectae libidines vultum, qui animi imago omni jure habetur, difformem reddere solent, sic animi magnitudo deformi ac vulgari vultui dignitatem quandam imprimunt, et: quo purior evadit animus, eo magis per involucrum terrestre elucet corporique decorem ac venustatem affert. (2) Quod si jam quodammodo in homine depravato animadverti licet, qui post multos variosque lapsus perfectionem demum attingere potest, quanto magis id in Eo locum habere debuit, cujus vita interna aequabiliter, quiete, magnifice se excolebat. - Ex his efficimus Domino fuisse corpus decoris, gravitatis ac dignitatis plenum, Eum-

---

(1) Vid. omnino Programma *de oris et corporis Jesu Christi. forma*, ubi cumulata earum picturarum collectio exstat, Helmstadt, 1777; - Doct. Gabler (*in Opuscc.* II. 638 sqq.) hanc sententiam impugnavit duobus programmatibus *in authentiam Epistolae Publ. Lentuli*, caett. Jenae 1822. Haec Lentuli epistola ad Senatum Rom. scripta est et prosopographiam Jesu continet, quae a Jacobi in opus: *Geschichte Jesu für denkende und gefühlvolle Leser*, quod prodiit Gothae 1816, cap. VIII et IX translata est, atque aucta additamentis, quae plane ficta sunt.

(2) Cf. ad h. l. doct. v. Oosterzee: *L. v. J.* Vol. I. P. II. p. 506-511.

que nobis cogitatione depingere licere specie humani generis pulcherrima ac nobilissima.

Tum variae mentis animique vires ac facultates Christi actionem sua sponte gignebant. Magnus animi vigor, praeclara observandi facultas, acre ingenii acumen, dives phantasiae vis, accurata hominum cognitio, uberrimae cogitationes, sublimes sententiae, magnifica consilia, - cum mirabili Dei hominumque amore conjuncta, copulata cum firma et pura voluntate ac constantia, - haec omnia cum veritate et ardore enunciata, primarium Illius eloquentiae constituunt elementum, dictumque Quinctiliani probant: »Pectus est, quod disertos facit." Ita enim Ejus orationum actioni nulla obstabat timiditas, nulla festinatio, nullus languor, nulla jejunitas, nulla artificia aliave vitia! - Num fieri poterat, ut orationes suas alio pronunciaret modo quam quo animus jussit, naturae convenienter, modo leniter, modo vehementer, sed semper proposito ac veritati accommodate, semper benevole et alacriter? Nonne igitur intellectu facile atque probabile est, Jesu pronunciationem necessario omni illa venustate ac praestantia conspicuam fuisse, quam corporis eloquentia ex animi dotibus oratoris tam praeclari accipere debet?

Dein oratoria aeque ac dramatica Christi orationum forma diserte nobis indicat, Eum actionem haudquaquam neglexisse. Omnia fere sunt depicta, et saepius, ubi illud non locum habet, e Jesu dictis efficere possumus rationem, qua Ejus verba sint

pronuntiata. Quid? quod affirmare praeterea nobis licet, plures Sospitatoris voces atque orationes tum demum recte intelligi, si vultum Ejus et habitum, vocem, oculos et gestus nobis ante oculos ponimus. (1) Quodsi vero dramaticam Ejus orationum formam attendimus, Jesus nobis in pronunciatione paene videtur varias partes suscepisse, easque eo, quem postulabant, sono elocutus fuisse. (2) Ac si porro reputamus Dominum in dicendo et narrando oratione recta uti solere, cujus natura ac ratio majore delectatur actione, quam oratio obliqua, tum rem magis etiam pro certo affirmari posse arbitramur; praesertim si

Tandem animadvertimus, quam Christi verba habuerunt vim. An forte illa vis (3) tantum tribuenda foret divino Ejus orationum argumento earumque gratae formae? Tum etiam plane negligendum sit, quales homines Sospitator auditores haberet, vel Judaeorum mores ignorandi essent, si poneremus claram perspicuitatem, vim insuperabilem veritatis, repentinam occupationem subito mutatae convictionis solam sufficere ad vim illam explicandam. Immo! elegantissima corporis eloquentia maxime requirebatur ad hominem rebus externis corporeisque maxime deditum, commo-

(1) *Luc.* VII: 40-48 coll. I: 36-40.

(2) *Luc.* XVIII: 2 sqq., 9 sqq., 16 sqq., XV: 11 sqq.

(3) Si vim, quam Jesu dicta habebant, argumentis firmare velis, adeas *Joh.* VII: 11, ubi gravissimum hujus rei documentum exstat, coll. inprimis, quae doct. v. Oosterzee ad h. l. monuit in opere *L. v. J.* Vol. II. P. II. p. 612.

vendum. Christus èt oculos èt aures ad se convertere debebat, ut sibi viam ad animum muniret; nam »in iis omnibus quae sunt actionis, inest quaedam vis a natura data: quare etiam hac imperiti, hac vulgus, hac denique barbari maxime commoventur. Verba enim neminem movent, nisi eum, qui ejusdem linguae societate conjunctus est; sententiaeque saepe acutae non acutorum hominum sensus praetervolant: actio, quae prae se motum animi fert, omnes movet; iisdem enim omnium animi motibus concitantur, eos iisdem notis et in aliis agnoscunt et in se ipsi indicant." (1) Nonne hoc judicium, hoc testimonium Ciceronis confirmatum videmus episodio e vita Jesu petito? (2)

Neque magis vis illa tribui potest populi benevolentiae; Ejus enim verba discordiam inter multitudinem moverant. Tria Ejus auditorum genera nobis ab Evangelista describuntur. (s. 40-43). Eorum agendi rationem tum demum intelligimus, (3) ubi ponimus,

---

(1) Cicero: *de oratore* L. III. c. 59 § 223.

(2) *Joh.* VII: 32 sqq.

(3) Sic Egelingius: *de weg der Zaligheid* T. I. p. 413. sq.: „En verbeeldt u bij dit alles nu eens, zooveel ge kunt, de stem, het gelaat, de wijze van uitdrukking in dezen lieftalligen Leeraar, in dezen gadeloozen Godsgezant! Stelt u voor, het vuur, de warmte, waarmede Hij zich steeds zal hebben uitgedrukt! Nu bevreemdt het ons niet, dat de schare dikwijls verbaasd was bij zijne leere, en dat eene menigte volks Hem dagelijks omringde, om het woord Gods uit zijnen mond te hooren. Nu begrijpen wij het gemakkelijk, dat Hij de diena-

eos externo Jesu habitu, venerationem movente, perculsos et debilitatos fuisse; Ejus placidam firmamque fidentiam, dicendi libertatem, vim ac majestatem, verbo: omnem Christi corporis habitum vultumque eorum manus vinxisse. (1)

Sed finem faciamus! Haec enim e multis variisque fontibus hausta et omnibus obvia argumenta, nostra saltem opinione, luculenter probant Jesum corporis etiam eloquentia, quae dicitur, (2) quam maxime valuisse. Quam ob caussam in reliqua disquisitione nostra, secundum ipsorum Evangelistarum indicia instituta, non plane desperamus, rem ad aptatum finem perducere.

---

ren van den Joodschen Raad, die waren uitgezonden, om Hem, terwijl Hij in den tempel het volk leerde, te grijpen, met zijne taal en welsprekendheid zoo innam en bedwong, dat zij onverrigter zake terugkeerden en tot den Raad, die hun vroeg: Waarom hebt ge Hem niet gebragt? zeiden: Nooit heeft eenig mensch alzoo gesproken, gelijk deze mensch."

(1) Summa modestia h. l. animadvertere liceat, nobis nos magna spe dejectos esse legentes narrationem hujus rei, a doct. v. Oosterzee conscriptam (*L. v. J.* Vol. II. P. II. p. 625), ubi vim, quam Christi verba in militibus habebant argumento tantum et formae Jesu orationis tribuit. Dignus omnino est, qui ad h. l. conferatur vir. clar. Clarisse: Oratio s. altera sec. *Joh.* VII: 46, inserta in ejus *sermonibus sacris* T. I. Eadem est ratio locorum, quales sunt *Marc.* XII: 37, - *Luc.* IV: 15, 22, - *Matth.* VII: 28, ubi vulgares interpretationes nobis plane frigere videntur, quoties actio negligitur.

(2) Cf. Cicero: in *Oratoris* libro.

Amplam materiae copiam partim distribuemus secundum Ciceronis Quinctilianique divisionem. Alter altero fusius quidem usuique accommodatius de actione scripsit, ita tamen ut uterque prius de voce ac pronunciatione, tum de vultu et gestibus agant, quibus nos tandem disputationem de totius corporis habitu oratoris addemus.

CAPUT PRIUS.

DE JESU CHRISTI ACTIONE SECUNDUM EA, QUAE NOBIS EVANGELISTAE TRADIDERUNT, INDICIA.

§ 1.

De Voce ac Pronunciatione.

Ex iis, quae Evangelistae memoriae prodiderunt, apparebit oralem Christi traditionem semper argumenti naturae orationisque formae accommodatam fuisse. Quae res accurata indagatione sane perdigna est!

In ea primum investigetur, qualem haberet vocem, tum quomodo ea uteretur. - Et primo quidem loco nobis observandum est, Christi vocem maxime fuisse canoram ac longe resonuisse; e longinquo enim jam ab auditoribus exaudiri poterat. Claro sono e libero pectore emittebatur, ut patet ex oratione montana aliisque, quas sub divo habuit, in littore, e nave vel e colle ad innumeros auditores, qui amplum sane locum occupabant, - et nusquam scriptum legimus aliquem Eum

non audivisse. Saepius contra mentio fit magnae Ejus vocis, e. g. φωνῇ μεγάλῃ ἐκραύγασε. (1) Idque etiam post gravia et continua tormenta ante et per cruciatum ἀνεβόησεν ὁ Ἰησοῦς φωνῇ μεγάλῃ. (2) Vis et quantitas Ejus vocis patet etiam ex oratione, *Matth.* XXIII litteris obsignata. Conemur modo haec verba variosque, qui iis exprimuntur, affectus suo naturaeque convenienti sono eloqui, et sentiemus, quanta contentione vocis opus fuerit ad eas in templo et coram ejusmodi auditoribus, quales Jesu erant, apta ratione pronunciandas, ut ab omnibus recte exaudirentur atque intelligerentur.

Quod vero pluris est, recte etiam voce illa sonora ac clara utebatur. Jam praecedente nostrae dissertationis parte (3) observare potuimus vocis declinationem sonique flexum haudquaquam Ei neganda esse, Eum pronunciandi aequalitatem cum varietate conjunxisse, nunquam tamen incidentem in quandam spiritus ac soni intentionem, quae graece μονοτονία vocatur. Identidem enim vocis sonos variabat pro variis, quibus afficiebatur motibus, pro diversis orationis membris. Praeterea, quae supra jam monuimus de *Joh.* XX: 15, 16 coll. *Joh.* XXI: 15-17 vox illa sensim magis magisque crescens in illo Σίμων Ἰωνᾶ, ἀγαπᾷς με πλεῖον τούτων; - ἀγαπᾷς με; - φιλεῖς με; vox primaria sedata est ac mollis, sed semper gravior, magisque

(1) *Joh.* XI: 43.
(2) *Matth.* XXVII: 46.
(3) Cf. supra *Cap.* III. § 1.

intenta, semper magis movet, donec ad trinam Christi interrogationem trina Petrus respondet confessione, amoris plena. (1)

Quoties Dominus ad turbam ibat, memoriae traditum reperimus, Eum magna voce clamare solere, - Eum, sicut veteres rhetores id vocabant, spiritum collexisse, intendisse latera. Documento sit inprimis *Joh.* VII: 28, quo loco tuto assumere possumus, Eum vocem intendisse, quo molestos istos interpellatores ad silentium redigeret (vidd. s. 22 et 27). - Eodem modo ex *Joh.* XII: 44, os magna sonans nobis resonare videtur. Conff. etiam *Marc.* VIII: 12; *Joh.* XIII: 21.

Ita igitur haud facile quis negabit, sonum ac flexionem Ejus vocis semper et plane convenire cum Ejus affectibus animique motibus. Magna enim ex

---

(1) Cff. praeterea *Joh.* VI: 32 et 33-37. Ad priorem locum rogat doct. v. Herwerden: „Bedriegen wij ons, of heeft de Heer deze tegenoverstellingen ook door den toon Zijner stem op het krachtigst doen uitkomen, en daarbij ook door Zijn gelaat nadruk aan dit gedeelte zijner rede bijgezet?" Ad alterum vero haec monuit: „Niet onopgemerkt mag het blijven, hoe de Heer ongetwijfeld deze woorden op een' zachten, weemoedvollen toon heeft uitgesproken, de bittere smart uitdrukkende, dat niet allen Hem door Zijnen Vader konden gegeven worden, dat zoo weinigen in waarheid tot Hem kwamen en de lust daartoe in zoo veler gemoederen ontbrak. Als Hij van geenszins uitwerpen gewaagt, o dan hoort men het Hem aan, dat Hij zoo gaarne allen behouden zou, zoo gaarne in den kring der Zijnen opnemen!" *Het Evangelie van Johannes*, rell. p. 106 et 113.

Evangeliis petitorum locorum copia hanc nostram sententiam firmius etiam probare posset. Legantur *Luc.* XIX: 42-44; variaque Jesu dicta, ubi Lazarum e mortuis excitat *Joh.* XI: 33-42. Etiam nunc ita afficimur, ut audire nobis videamur suavem ac teneram vocem, consolantem animumque erigentem sonum, ubi legimus: Θάρσει τέκνον, ἀΦέωνταί σοι αἱ ἁμαρτίαι σου, (1) - θάρσει θύγατερ, ἡ πίστις σου σέσωκέ σε· πορεύου εἰς εἰρήνην. (2) - θαρσεῖτε, ἐγώ εἰμι, μὴ Φοβεῖσθε, (3) - πορεύου, καὶ μηκέτι ἁμάρτανε. (4) - Omnium autem notatu dignissimus locus de vocis flexu rursus est *Matth.* XXIII. Incipit oratio exordio submissa voce pronuntiato (s. 1-12), magis magisque incenditur, donec ad altissimum sanctae indignationis ac propheticae castigationis sonum pervenit; - tum leviter reducitur ad flexam et flebilem vocem (s. 37), ut eo majore vi finiatur et clarius ad damnantis judicis sonum attollatur.

§ 2.

De Vultu et Gestibus.

»Animi est omnis actio, et imago animi vultus est, indices oculi." Quam Ciceronis sententiam Quinctilianus hisce verbis circumscribit: »domi-

(1) *Matth.* IX: 2.
(2) *Luc.* VIII: 48.
(3) *Marc.* VI: 50
(4) *Joh.* VIII: 11.

natur maxime vultus. Hoc supplices, hoc minaces, hoc blandi, hoc tristes, hoc hilares, hoc erecti, hoc summissi sumus: hoc pendent homines, hunc intuentur, hunc spectant, etiam ante quam dicimus: hoc quosdam amamus, hoc odimus: hoc plurima intelligimus, hic est saepe pro omnibus verbis", quibus paulo inferius addit. »Sed in ipso vultu plurimum valent oculi, per quos maxime animus eminet." (1) Ex his testimoniis summum cognoscimus pretium, quod antiqui rhetores vultui et recto oculorum usui in actione tribuebant. Ab ipso quoque Christo oculi dicti sunt οἱ λύχνοι τοῦ σώματος (2) i. e. corporis instar lumina esse, quia reliqua illius membra oculorum lumine adjuvantur, ut suo quodque munere recte fungatur, unde ab Artemidoro Onirocr. I: 28 haberi videntur τοῦ σώματος ὁδηγοὶ καὶ ἡγεμόνες. (3) - Num credibile est posteritatis judicium multum ab horum sententiis differre?

Alia est quaestio, num sensus Jesu verborum

---

(1) *Instit. Orat.* Lib. XI. c. 3. § 72, 75. *De Oratore* Lib. III. c. 59, § 221.

(2) *Matth.* VI: 22.

(3) Quod Buffonius etiam recentioribus temporibus his verbis docuit: C'est surtout dans les yeux, que se peignent les images de nos secrètes agitations. Ils expriment les passions les plus vives et les passions les plus tumultueuses, comme les mouvements les plus doux et les sentiments les plus délicats.' Pulcherrime praeterea haec imago elaborata est a Bernardo ter Haar, in poëmate: *De Taal der Schilderkunst*, quod insertum est in libro, inscripto: *Verspr. en onuitg. Gedichten* p. 12 sqq.

etiam e vultu et oculis cognosci possit, num etiam hoc nomine eloquens dicendus sit? In hac quoque quaestione Evangelistae nos non destituunt. Legatur e. g. narratio de juvene opulento. (1) Christus dicitur ἐμβλέψας (s. 21) et περιβλεψάμενος. (s. 23) Quam diversae significationes commutationesque in Ejus oculis conspicuae esse debuerunt! (2) Juvenem intuetur blandis oculis, amoris plenis, discipulos vero penitus perspicere studet, ut eorum affectus cogitationesque cognoscat. Sectione etiam 27ª Sospitatorem aliquamdiu tacentem mihi propono, sed arrectis oculis discipulos intuentem, quo iis fidem afferat eorumque animos convertat ad sequentia: παρὰ ἀνθρώποις ἀδύνατον, ἀλλ' οὐ παρὰ τῷ Θεῷ· πάντα γὰρ δυνατά ἐστι παρὰ τῷ Θεῷ. - Conff dein de variis vultus oculorumque motibus: *Marc.* III: 5: καὶ περιβλεψάμενος αὐτοὺς μετ' ὀργῆς; - *Luc.* XXI: 1 ἀναβλέψας: - *Matth.* XIX: 26: ἐμβλέψας; (3) - *Marc.* VIII: 33: ἰδὼν superciliis contractis denotat

---

(1) *Marc.* X: 17.

(2) Non negligendum est discrimen inter verba composita ac simplicia. Ubi enim ἐμβλέπειν, ἀναβλέπειν vel περιβλέπεσθαι legitur, ipsa vocis Etymologia jam indicat, verba illa majorem vim ac significationem habere quam simplex βλέπειν. Cf. Winer: *Gramm. d. N. T. Sprachidioms*, III. Abschnitt, 5es. Cap. § 56, p. 504, ed. 5ae, ubi de vocibus ἀναβλέπειν (p. 506) et ἐμβλέπειν εἰς (p. 508) earumque significatione, quam locis allatis habent, paucis verbis agit.

(3) *Act.* I: 10, 11 verbum ἐμβλέπειν commutatur cum ἀτενίζειν, ubi profecto non de cernendo tantum cogitandum est. Cf. *Luc* XXII: 56.

vultum minacem; - *Luc.* XXII : 61 ἐνέβλεψε, quo Petrum oculis intentis ita adspexit, ut vix ac ne vix quidem illud describere audeamus.

Scena est in domo Pontificis Maximi. Christus a vilibus ministris deridetur injuriisque afficitur. Probris et conviciis obruitur, neque id satis erat. Post Eum stabat Petrus, qui Dominum secutus erat usque in domum principis sacerdotum atque servis et ministris se inmiscuerat, - Petrus, qui ad trinam tentationis vocem trina respondet negatione. Quo facto Dominus conversus lapsum adspexit discipulum oculis, qui plus significabant, quam verbis exprimi poterat: »Petre! Petre! Magistrum ac Dominum tuum denegasti medium inter ipsos Ejus inimicos; tu, qui me, ut dicebas, (1) nunquam denegaturus eras, etiamsi morti mecum occumbere deberes! Petre! Petre! Quid fecisti? Adspice hunc meum vultum cruentum! Vexatum hocce corpus! - sed abi! Venia jam tibi! Abi, peccati te poeniteat!" - Haec et longe plura in oculorum Jesu obtutu mihi videntur perspici potuisse. Petrus saltem foras egressus amaras fudit lacrymas.

Porro. Subinde etiam Ejus oculi summam significabant fidentiam, adversariorum contemtum, salutaremque Ejus victoriam de eorum vitiositate. (2) Quibus tandem locis eos addimus, ubi Christus dicitur coelum suspexisse oculosque sustulisse, quoties

(1) *Matth.* XXVI : 35.

(2) *Luc.* VI : 10.

preces funderet, (1) et... sententiam nostram nulla praeterea indigere demonstratione, speramus.

Fortasse quis rogat, num locus de risu ac fletu ad vultus motus referendus ac propterea hîc trahendus sit. Dominum flevisse, duobus tantum locis memoratum reperitur. (2) Apud antiquos oratores pertinebat ad artificiosa rhetorica; praestigiae erant. (3) In Jesu vero tristitia illa naturalis ac sincera erat manifestatio animi graviter afflicti; Christi lacrymae sanctissimi erant sensus, imagines generosi ejus animi. Prima enim vice mortis vindiciae atque ἀπιστίας pervicacia, altera vero hominum miseria malitiaque Ejus lacrymas movebant. Non magis autem Christi lacrymas effeminatae mollitiae aut atrae melancholiae, pravo animo aut fallaci ostentationi tribuimus, quam timemus Ei absurdi quid vel abjecti adspergere, ubi de Ejus lacrymis mentionem facimus. Quid? quod cum praestantissimo oratore sacro affirmare non dubitamus, in illis etiam conspicuam esse summam Ejus eloquentiam. (4)

---

(1) *Matth.* XIV:19. *Luc.* IX:16. *Joh.* XI:41, XVII:1, alibi. Mirum sane Quinctilianum supplicem coeli adspectum plane silentio praeteriisse. Non item Plinius in pulcherrimis precibus, quibus laudes Trajani terminat. „In fine orationis" caett. Panegyrici, cap. XCIV. — Sic quoque Aristides apud Plutarchum.

(2) *Joh.* XI:35. *Luc.* XIX:41.

(3) Cf. Quinctilianus: *de Affectibus* VI:2.

(4) v. Oosterzee in *Oratt. ss.* p. 288. „Welsprekend" inquit, „waren zijne woorden, welsprekend was zijn zwijgen, maar in welsprekendheid staan bij dat spreken en zwijgen zelfs zijne tranen niet achter."

„Numquam visus est ridere" ita inter alios Publ. Lentulus Proconsul ad Senatum Romanum scripsit, quae verba, quamvis descriptio de Servatoris corporis forma fabulis referta est, tamen lubenter nostra facimus: imo merito nos contendere opinamur, Jesum nequaquam ad tale quid propensum esse potuisse. Innoxiae stultitiae, levia socialia vel civilia vitia ludenda ac ridenda sunt; vitiosas vero ac pravas actiones earumque incommoda ridendo impugnare, odium, non morum emendationem parit. Talis agendi ratio insuper pugnat cum sancta gravitate indefessoque studio, quo suum in dicendo consilium assequi summa ope nitebatur. Denique sacrarum litterarum, Dei religionisque irrisores hoc ipsum forte tanquam optatam rem arripuissent, in qua impurum sui ingenii acumen exercerent. Magna igitur animi intentione iteramus: si bis tantum lacrymatus est Sospitator noster, numquam sane risit. (1)

Hucusque egimus de varia vultus oculorumque significatione; restat igitur ut pauca quaedam ex Evangeliis afferamus de Jesu gestibus. In his enim adspectabilis actionis forma maxime cernitur,

---

(1) Longe a nobis abest contendere in ridendo pravi aliquid vel quod reprehensione dignum sit, situm esse; neque invehimur in eos, qui existimant, Christum etiam hoc innoxio hominum more (quamquam rarissime) usum fuisse. Hoc loco tantum de iis agimus, quae ex Evangelistarum narrationibus effici possunt. Conf. porro Quinctilianus l. l. Lib. VI: 3: *de Risu*, et Reinhard: *de vi, qua res parvae afficiunt animum* § 43, 52.

qua in re orator non aeque tuto sensum a natura inditum sequi potest atque in vultus motibus. (1) In examinanda autem ratione, qua Dominus gestibus usus sit, magna diligentia ac studio scripta Evangelica sunt legenda, quamquam hoc etiam loco ex iis, quae in antecessum posuimus, sequitur, Eum oratoriis modicisque motibus illam quam vellet efficacitatem suis verbis addere valuisse. (2)

Conferantur *Marc.* VIII: 30, ubi minans procul dubio digitum sustulit Christus, sect. 33 manum porrexit, - etiam *Joh.* I: 48 et *Matth.* XVI: 18 tuto assumere possumus digitorum actionem ac manuum gestus cum Ejus verbis junctos fuisse; - *Luc.* VIII: 24 videmus Eum brachio sublato contractoque pugno tempestatem coercentem. Etiamsi enim his locis non disertis verbis de gestibus mentio fit, vel sic tamen res ipsa tali modo nobis ante oculos ponenda est; imo vero luce clarius id nobis apparebit, si modo scripturam sacram cum judicio legimus et rite oratoris agendi rationem perspicimus. (3) - Sunt qui putent,

(1) Haud insulsa est comparatio, quam me alicubi legisse memini: Manus sunt quasi priores equi currus, quadrijugis equis tracti; multo longius a rectore remoti ampliore spatio et liberius se movere possunt; saepe in contrarias partes insiliunt, ideoque multo majore diligentia ad eos regendos opus est, quam posteriores postulant.

(2) Christum pro concione gestus usurpasse Hegemeister scripto peculiari a°. 1774 edito probavit, quod tamen scriptum frustra mihi comparare conatus sum.

(3) Cff. *Luc.* VIII: 21, coll. *Marc.* III: 34, *Matth.* XII: 49.

Dominum verba: Λύσατε τὸν ναὸν τοῦτον, καὶ ἐν τρισὶν ἡμέραις ἐγερῶ αὐτὸν, (1) pronunciantem se ipsum digito monstrasse; in his certe: οὗτός ἐστιν ὁ ἄρτος ὁ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ καταβαίνων, ἵνα τις κ. τ. λ. (2) et fortasse ubique, quo formula: υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου usus est, se ipsum significavit. Gestus maxime oratorios reperimus *Matth.* XVIII: 2, 3, ubi, junioribus de summo in regno coelorum loco disputantibus, puerulum e turba ad se vocatum amplexus est cum summae voluptatis significatione, - vèl ubi discipulos ad humilitatem incitans, iis pedes lavit, (3) - vèl ubi, indicans quid incredulis immineret Judaeis, ficum, quae spem fefellit, coram discipulis aridam fecit, (4) - vèl ubi illa de muliere in adulterio deprehensa sententiam dicit: (5) plane Jesus malignum Pharisaeorum consilium perspiciebat, qui Eum captiosa quaestione irretire conabantur. At longum tenens silentium ac deorsum inclinans digito scribebat in terra. Quanto acumine et gravitate hoc loco tota Christi agendi ratio est, quam sensus pleni sunt Ejus gestus! (6)

---

(1) *Joh.* II: 19.

(2) *Joh.* VI: 50.

(3) *Joh.* XIII: 12-14.

(4) *Matth.* XXI: 19.

(5) *Joh.* VIII: 2-11

(6) Conf. ad h. l. Heumann: *Interpr. Geograph. Christi* in nova Syll. Dissert. P. I. Diss. V. p. 173; - et Euthymius Zigabenus, qui ad h. l. de Jesu in terra scribente: ὅπερ εἰώθασι" inquit „πολλάκις ποιεῖν οἱ μὴ θέλοντες ἀποκρίνεσθαι πρὸς τοὺς ἐρωτῶντας ἄκαιρα καὶ ἀνάξια" κ. τ. λ.

§ 3.

De Corporis Habitu.

Agentes de Jesu corporis habitu, tanquam de Ejus actionis parte, omnia ea intelligimus, quibus personae suae dignitatem addebat, - omnia, quibus animi mentisque praestantia ac majestas omnium oculis patebat, ac quibus solis summum interdum verbis suis et factis pondus addebat, immo! multa magnifica mirabiliaque perficiebat. Huc celeritatem suadendi, jubendi, agendi firmamque in iis constantiam referimus, praesertim in iis rebus, ubi vulgaris homo consilii inops foret vel incertus dubitaret. Ita e. g, videmus firmum deliberatumque Ejus habitum *Luc.* VIII: 54, 55, - *Matth.* XIV: 15 sqq., *Luc.* XXIV: 41 et tandem *Matth.* XVI: 4, ubi subito orationem suam abrumpit ac summa indignatione motus ob Pharisaeorum Sadducaeorumque malitiam et ὑπόκρισιν, gravique tristitia affectus propter parvam discipulorum fidem, surgens abit.

Sic etiam, ubi nobis totam Domini agendi rationem ob oculos ponimus, inter ea, quae *Joh.* XII: 23-50 occurrunt, arctum necessariumque est vinculum. Legimus enim Ejus exhortationem inde a sect. 24ª usque ad 36ªm; - qua finita lente ex multitudinis oculis discedit, quibus parvis temporis momentis Evangelista utitur ad narrationem persequendam, eamque firmandam, donec sect. 44-50 Jesum iterum dicentem au-

dimus. Abiens enim semel subsistit, atque conversus magna claraque voce ad congregatam clamat catervam: ὁ πιστεύων εἰς ἐμὲ, οὐ πιστεύει εἰς ἐμὲ, ἀλλ' εἰς τὸν πέμψαντά με. κ. τ. λ.

Animi qua excellebat moderatione Christus corporis sui habitui semper eam vim addidit, cui resistere nemo posset. Quantopere id omnes commoveret legimus *Joh.* VIII : 59, et *Luc.* IV : 29, 30. Quum Ejus adversarii in templo Hierosolymitano surrexissent, ut Eum blasphemorum poena afficerent, atque lapides jam arripuissent, quibus Eum occiderent, veloci sed firmo incessu saevientem multitudinem, nullo Eum retinere audente, transiit. - Et ubi Nazarethani insana ira commoti Dominum a cathedra abripiunt, ut Eum e praerupto urbis loco dejiciant, de improviso viam sibi aperit per adversarios pertinaces, eorumque manus quasi vinctae pedesque constricti videntur. Num igitur hoc loco de miraculis cogitandum? Minime gentium; nam placido et firmo gressu, quo procedebat, intrepido vultu, quem ostendebat, sublimi reverendoque habitu, quem prae se ferebat, minanti atque acri oculorum acie, quam in omnes partes intendebat, saevientem illam turbam morabatur atque retrocedere cogebat, ita ut incolumis, acsi eorum dominus esset, per medios furentes abiret. (1) Talem Christi trium-

(1) Cff. porro *Joh.* II : 13 et *Matth.* XXI : 22 sqq., ubi narratio de templo a Jesu purgato legatur ap v. Oosterzee: *L. v. J.* V. II. P. I. p. 54 sqq. et *Orationes sacrae* p. 225 sqq., inprimis p. 229 et 230.

phantis imaginem a Virgilio expressam esse diceremus, ubi cantat. (1)

Ac veluti magno in populo quum saepe coorta est
Seditio, saevitque animis ignobile vulgus;
Jamque faces et saxa volant: furor arma ministrat:
Tum, pietate, gravem ac meritis si forte virum quem
Conspexere, silent, arrectisque auribus adstant.

Unum praeterea afferamus specimen pulcherrimum mirae, quam Dominus erecto intrepidoque corporis habitu manifestabat, potentiae, quod nobis Johannes cap. XVIIIo : 4sqq. Evangelii sui tradidit. In introitu horti, ubi Jesus preces effuderat, adest cohors a synedrio ad Eum prehendendum emissa. Accedunt ad Eum milites, gladiis fustibusque armati, sed nullo commotus metu latronibus obviam procedit. Eos rogat: τίνα ζητεῖτε; Respondent: Ἰησοῦν τὸν Ναζωραῖον. Ἐγώ εἰμι, inquit Dominus, et tanquam tonitru perculsi retrocedunt et in terram procumbunt.

Quisquis unquam occulta, sed ingenti suae majestatis vi venerationem movit, eo maxime excelluit Christus. Resisti non poterat terribili illi oculorum aciei; sublimis erat Illius habitus. Et, si historia gentium mentionem facit percussorum, qui tela, quibus magnam virum percuterent, perterriti e manibus projecerunt, quum hic impavidus eos adspiceret oculis vel gravibus alloqueretur verbis, - si interdum seditiosam turbam nobis describit, quae nulla vi coerceri videbatur, unius tandem sermone sedatam, qui existimatione ac

(1) *Aeneid.* I : 148 sqq.

fide aequalium suorum gaudebat, - si nobis etiam documenta ejusmodi reverentiae tradidit, ut rudes milites terrore percussi fugerent, ipso eo temporis momento, quo claro belli duci manus inferre vellent, (1) - sacra historia hoc loco rem gestam depingit, quae nulla ratione cum illis aequiparari possit.

Ille tamen summae majestatis habitus nunquam tam gravis erat, ut Ejus suavitas ac modestia, de quibus supra diximus, tolleretur. Utraque enim in praestantissimis hominibus saepius conjuncta reperitur. Venerabilem illum habitum, generosam illam, magnificam, divinamque staturam mitigare coelestique benevolentia atque amore ornare solebat, quoties animo contritis fiduciam addere, timentes ad se allicere, vel dolentes confirmare aut erigere vollet.

Sed aliud quid nobis insuper observandum est. Dominus enim maxime etiam tacendo eloquens erat. Petrum quum adspiceret, ne verbum quidem ex Ejus ore profluit; brevissima enim syllaba oculorum

---

(1) Non possumus non ad h. l. Voltarii describere verba:

Déjà des assassins la nombreuse cohorte,
Du salon, qui l'enferme allait briser la porte;
Il leur ouvre lui même, et se montre à leurs yeux,
Avec cet oeil serein, ce front majestueux,
Tel que, dans les combats, maître de son courage
Tranquille, il arrêtait ou pressait le carnage.
A cet air vénérable, à cet auguste aspect,
Les meurtriers surpris sont saisis de respect,
Une force inconnue a suspendu leur rage."

Henriade, Ch. II. Mort de Coligny.

obtutûs vim sustulisset. Et non solum coram Cajapha, coram Pilato, coram Herode (1) tacuit, sed multis quoque aliis temporibus, ubi alius quis verisimiliter locutus esset. Ubi explicatio vel responsum expectaretur, videmus Eum subinde tacere, subito sermonem abrumpere vel de aliis rebus loqui incipere. Sic e. g. prudenter quaestionem, num Jacobo Ipse major esset (2) omittit, de re sua tantum, de aqua vitae memorans. Sic repetit subinde, quae antea jam ab Eo dicta erant, (3) ac caeterum de improviso tacet. Magnam vim tale silentium habet. Sapiens enim interdum tum plurima dicit, ubi tacet, et verissimum re vera antiquorum est proverbium: proximus ille Deo est, qui scit ratione tacere. (4)

Ita demum Jesu eloquentia exteriore q. d. adumbrata imaginem divinae Ejus magnitudinis praestantiaeque, ut Doctoris et Oratoris Sacri recte absolutam existimamus. Quoties enim mentio fit de Jesu Christo, tanquam verbi divino Ministro, non solum argumentum formaque Ejus sermonum spectanda est, sed tota Ejus persona, qui oratorem agebat; interna

---

(1) *Joh.* XIX : 9b. *Marc.* XIV : 61, XV : 3, 5; *Luc.* XXIII : 9.

(2) *Joh.* IV : 12, 13.

(3) *Joh.* VII : 29.

(4) De hoc gravissimo Christi silentio cff. Tholuck: *Gethsemane-Golgotha* sec. *Matth.* XXVI : 62, 63a; - A. de Roosmalen, *l'Orateur*: „Lesilence" inquit, „est en certaines circonstances plus éloquent que la parole."

atque externa Doctoris forma ac natura consideranda est. Hanc ob causam disquisitionem de Ejus actione necessariam habuimus. Erunt forsan, qui nobis objiciant, nos opus inutile vanumque aggressos esse, quippe quod oratoribus sacris (omissis vitiis, quae labori nostro inhaerent) parum prosit, piisque Christianis nullum omnino commodum afferat. - Contrariam sententiam fovemus. Rogamus enim quemvis theologum: »nonne imago Domini, tanquam Oratoris, imperfecta plane ac vitiosa, nonne adumbratio Ejus denunciationis ac laboris mendosa mutilaque fuisset, nisi ea, quae supra attulimus, Evangelistae nobis tradidissent; - vel si memoriae traditum inveniremus, Sospitatorem sive ingenio ac natura, ad dignam elegantemque actionem conformatis, non usum fuisse, sive hanc virtutem plane Ei defuisse, - nonne ille theologus nobiscum aliquid in Domino rite desideraret, quod Ei tanquam populi Doctori, ad recte opus mandatum peragendum defuisse non debuisset?

Sed ulterius etiam progredimur! Indagatio illa de Jesu pronunciatione èt sacrorum Antistiti èt indocto Scripturae sacrae lectori vel auditori maxima ac certissima commoda praebet. Quam enim utilitatem Evangeliorum interpreti afferat, supra jam paucis speciminibus demonstrare conati sumus. At non tam criticis, grammaticis, dogmaticisque librorum sacrorum investigatoribus, quam Evangelii nuncio, cujus est auditoribus suis res memorabiles, orationes sermocinationesque e vita Domini clare ante oculos ponere, sed praesertim iis, qui in denunciatione verbi

divini, et in domestica quoque lectione intimo ducuntur studio, vim ac efficacitatem Evangelii penitus sentiendi, - qui ante omnia ipsis Sospitatoris verbis animos suos nutrire cupiunt, iisque nunquam satiari possunt, qui semper majore veneratione, amore, voluptate Christum prae omnibus, immo solum de rebus vitae aeternae regnoque coelorum dicentem audire gestiunt, - iis, inquam, Evangeliorum augetur pretium et ubertas, si Ejus imaginem a sacrorum Antistite propositam intuentur, quam postea, Ejus verba legentes, denuo sibi animo fingere possint.

Omnium enim temporum experientia dilucide probat, majore utilitate et voluptate, majore attentione et diligentia eorum hominum verba legi vel audiri, quos ipsi noverimus vel audiverimus, quorum habitum, vocem, vultum gestusque nobis in memoriam revocare possimus. In Sospitatoris orationum lectione hoc quidem fieri nequit, attamen disquisitio de Ejus actione recte instituta et absoluta docere nos oportet, quomodo sanctae phantasiae ope eam penuriam, quodammodo saltem, resarcire iisque incommodis mederi possimus. Talis enim expositio ingenio ampliorem fingendi materiem praebet, animum magis tenet, voluptatem auget et revera uberrimos gignere potest fructus. Altius ita in praestantem Servatoris indolem penetramus, melius consilium, rationem, vim Ejus verborum perspicimus, integri loci magis nos capiunt, acriores aculeos relinquunt, penitus memoriae inhaerent, et non amplius legimus, quae Evangelistae de Jesu Christo nar-

rant, sed audimus ac videmus Eum ipsum loquentem atque agentem. Verbo: Indagatio de exteriore Jesu eloquentia cum unicuique oratori sacro summi est momenti, tum coetus sociis auditoribusque summam affert utilitatem.

Cavendum tamen est a nimia exaggeratione; ne de Ejus morum integritate ac summo docendi dicendique muneris pretio aliquid detrahamur, ne in supervacaneas inutilesque digressiones vel descriptiones incidamus. Inprimis igitur oratori sacro videndum est, ne inopportuno tempore personae suae et actionis mentionem faciat. Nam ad eum, qui animi consolationem lucemque desiderat, vel harum possessione jam beatus est, parum sane refert, quo vultu, qua voce, quibus gestibus Dominus locutus sit. Tantummodo ubi orator sacer historicum tractat argumentum, ejusmodi quasi depingendi ratio utilis salutarisque esse potest.

Quod autem ad alterum exaggerationis locum, de quo monuimus, attinet, maxime cavendum est, ne Christi morum integritas Ejusque dicendi muneris summa dignitas deprimatur, Ejus actione assimulanda fallaci phonascorum, histrionum demagogorumve artibus. Evangelium, quod denunciavit, sua ipsius vi auditoribus persuadere, eosque movere debebat, quippe morali sensu liberos ad illud probandum atque accipiendum. Inde patet Christi actionem certum tantum definitumque pretium habuisse; nihil aliud erat, neque esse poterat, nec debebat, nisi subsidium ad altius sublimiusque consilium assequendum.

Itaque imaginem Ejus, - qui non magis factis quam verbis valuit, qui docebat ὡς ἐξουσίαν ἔχων, καὶ οὐχ ὡς οἱ Γραμματεῖς, (1) non ut frigidi angustique Scribae et Pharisaei, - pro viribus nostris absolvimus. Oratori sacro etiam nonnulla ex Ejus pronunciatione imitanda commendaturi, huic argumento finem imponimus superiora dicta iterantes: οὐδέποτε οὕτως ἐλάλησεν ἄνθρωπος, ὡς οὗτος ὁ ἄνθρωπος. (2)

(1) *Matth.* VII : 29.
(2) *Joh.* VII : 46.

CAPUT ALTERUM.

QUATENUS ILLA CORPORIS ELOQUENTIA ORATORI SACRO SIT IMITANDA.

Male si mandata loqueris
Aut dormitabo aut ridebo.
Horatius.

Num post ea quae diximus, demonstratione opus est corporis eloquentiam oratori sacro haudquaquam deesse debere? Attamen! quam tristi fortuna inter christianos Evangelii nuncios omnium temporum, sectarum, terrarum usa est! quam male et inique nostra in patria habetur ac tractatur etiam ab oratoribus valde praeclaris! (1) Nonnullis saltem exceptis, quibus natura praestantissimum aptissimumque ingenium

(1) Conf. omnino ad h. l. consult. A. Bogaers in commentatione praemio ornata: *Over de uiterlijke welsprekendheid* p. 329, inserta in operibus societatis, quae dicitur: *Hollandsche Maatschappij van fraaije Kunsten en Wetenschappen* T. I. 1840.

indiderat, a plurimis negligebatur, quoniam nullo studio eam dignam censebant, vel existimabant eâ munus suum inquinari. Ejusmodi arte profana facile ideo carere se posse credebant. (1)

Perversa sane opinio! Nam quis est, qui infitias eat, vocem, sonum, vultum, oculos ac gestus èt secum invicem èt cum totius corporis habitu copulata totam humani sermonis orationisve notionem constituere, et in enunciandis communicandisque animi affectibus ac cogitationibus, sua sponte et necessario in lucem prodeunda esse? Cuinam licet hac quoque in re separare quae Deus conjunxit? (2) Nonne summae incuriae accusandi sumus, dum omne studium collocamus in inveniendo et scribendo, in materia ac forma orationum, - praeclaram vero bene eloquendi facultatem, elegantemque corporis actionem, quae summi est momenti ad felicem et optatum conatuum nostrorum eventum, cum in nobis, tum in aliis excolere et perficere negligimus? (3) Humanae enim Creator indidit indoli, ut quando loquimur, totus homo hujus rei particeps foret. Unusquisque igitur

(1) Digna, quae ad h. l. consulantur sunt verba clar. Opzoomer: „Dat de uiterlijke voordragt eene kunst is, waarin weinigen het ver hebben gebragt, zeer enkelen als meesters kunnen optreden, zal wel door niemand worden betwijfeld. Maar juist omdat zij eene kunst is, heeft zij bij menigeen met vooroordeelen te kampen," - et inprimis quae sequuntur ad vulgares objectiones refellendas, in diario *Lucifer*, no 23, a. 1850.

(2) Prae aliis cf. Bogaers l. l. p. 227.

(3) Vid. Bogaers in Praef. ad Comment. p. 143.

orator, cui re vera cordi est, vim fructumque verborum suorum augere, omnes vires intendat, ut sibi comparet artem ea, quae invenit atque elaboravit, bene eloquendi et pronunciandi.

Ne quis falsa opinione ducatur unam solamque naturam hac quoque in re optimam esse magistram, nec sibi regulis, praeceptis artis vel excertitatione opus esse. Praeterquam quod hanc objectionem aeque obsoletam ac praejudicatam opinionem esse censeo, saepissime praeterea perversa ei tribuitur sententia. Si antiqui jam rhetores praecepta, quae de actione dabant, contra hos (ut ita dicam) naturae sectatores defendere debuerunt, libenter huic defensioni subscribimus, fatentes: Naturam artis quidem esse magistram, sed simul contendentes: eandem hanc naturam vicissim arte esse poliendam atque emendandam, quippe » quae humus optimas producat fruges, non tantum suapte natura pinguis sit et fertilis, sed insuper laborari, aratro verti atque seminibus spargi debebit. Ecquidnam eum praeclarum unquam scriptorem fore crediderit, qui, etiamsi divinioris fere ingenii facultatibus praeditus sit, nulla tamen disciplina has naturae dotes excoluerit, Rhetorum scholas non frequentaverit, artem grammaticam nunquam didicerit, largam verborum supellectilem et dicendi quasi silvam sibi nullus comparaverit, pulchritudinis sensum ad optimorum Poetarum atque Oratorum lumina non accenderit, Elocutionem sexcenties sub limam non revocaverit aut hujus luxuriem stilo saepe vertendo non depaverit, autumatisne, inquam, ejusmodi hominem, ingenio praeclarum,

arte vero rudem, Orationis suae elegantiis quemlibet lectorem, politissimum etiam, captaturum esse?... Quod autem in scriptore, qui ad summam perveniat laudem, urgentis est necessitatis, idemne illud in pronuntiatore nullius erit momenti?" (1) Ulterius progredimur, statuentes, eo effato: »Natura artis magistra" significationem exercitationis artisque jam contineri, summamque artis laudem esse, quando adeo praeclara sit ut affirmari possit eam naturam esse factam.

Quisque orator igitur se ipse diligenter examinet, actionem suam cum natura conferat, quo vitia sua erroresque consuetos detegat et corrigat. Tum demum corporis Ejus eloquentia naturalis erit descriptio eorum, quae animus cogitat ac sentit. (2)

At Christum intueamur et rogemus, an non actione in liceat summi Magistri exemplum imitandum sibi proponere? Nobis saltem videtur omnibus Evangelii nunciis acerrimus esse debere stimulus, ut operam dent quam maximam eleganti corporis actioni,

---

(1) B. H. Lulofsii verba. Vid. ejus Oratio: *de Eloq. exter. quam vocant interiorisque consensu*, rell. p. 10 sqq. Conss. Bogaers l. l. p. 221 et clar. Opzoomer l. l. 2o.

(2) „Il rejettera loin de lui tout ce qui ne sera point l'interprète fidèle de ses sentiments, de ses pensées; sa conviction, sa foi, son âme tout entière se manifesteront noblement par chacun des grands moyens, que Dieu lui a donnés: la voix, la physionomie, la tenue et le geste." A. de Roosmalen: *l'Orateur* p. 269. Cff. et Fénelon: *Gesprekken*, caett. p. 71 et Schranti *annot.* ad h. l. v. d. Palm: *Redev. over den waren aard d. welsp* p. 72, quae reperitur in opere, cui titulus est: *Redev. en losse Geschriften.* Tom. I.

et hac quoque in muneris sui parte tantum efficiant, quantum viribus valeant. Nobis videtur oratori sacro haudquaquam licere haec eloquentiae praecepta negligere aut contemnere, quandoquidem Christus, summus Dei legatus, viam ei monstravit. Secum reputet praeterea, infimam quoque plebem dignam corporis eloquentiam magni facere ac probare, auditores quoque minus excultos eo moveri quod pulchrum decorumque sit. (1) Quomodo tandem credere possumus, sacrorum Antistitem Evangelii vim salutarem penitus animo sentire, si religionis placita non denunciet severa illa gravitate, amore, alacritate, ardore, quae persuasionis verae-

(1) Praeclare omnino Bogaers. l. l. p. 329: „Gij vooral, kanselredenaars, miskent en veronachtzaamt dien bijstand niet! Wat? tijd en vlijt besteedt gij om uwe preek bondig, leerrijk en opwekkend te maken; gij beijvert u om ze fraai en ordelijk te verdeelen en om die deelen wijselijk te rangschikken; gij legt er u op toe om uwe rede in eenen stijl te schrijven, die met het gewigt der zaken strookt; ... en zoudt gij dan de middelen verzuimen, die onder Hooger zegen, uwen vromen ijver volledig bekroonen en uwen moeijelijken arbeid zoo vruchtbaar mogelijk maken moeten? Of acht gij het misschien beneden uwe waardigheid, op uwe stem en uw uiterlijk te letten? Zijn het dan de werktuigen niet, die God u ter mededeeling uwer gedachten en gevoelens geschonken heeft, en die gij zoo goed en doelmatig, als immer doenlijk is, behoort te gebruiken? Menschen zijn het, tot wie gij uwe woorden rigt; zwakke, zinnelijke wezens! Komt hunne zwakheid in het redelijke ter hulpe, en daar uwe taal zich geen toegang kan banen tot hun gemoed, dan onder het geleide der zinnen, zoo zorgt (het is pligt!) dat uwe taal de geschiktheid bezitte om, onder dat geleide in te dringen in het gemoed!" et quae sequuntur.

que divinae veritatis conscientiae verissimae notae sunt ac criteria, - si non plane fervore atque ardore illo imbutus sit, qui e sancto Dei Christique hominumque amore oritur. Externa enim forma, externus habitus vulgo interni est imago ac speculum. (1)

Nunquam tamen orator sacer eam palmam sectetur, quae histrionis est. Etenim, quod recte monuit, Lulofsius: (2) »èt divini verbi minister et causarum Patronus, quibus plerosque reliquos addatis Oratores, quidquid nimis scenicum sit, respuant. Non comoedum esse, sed oratorem volo, ait Quinctilianus; (3) neque minus egregie Cicero distinxit inter Oratores, quos nempe ipsos veritatis actores, et Histriones, quos ejusdem veritatis tantum imitatores appellaret." Tum demum ad artis fastigium adscendit, quum auditores oratoris obliti, sermonem tantum ejusque verba audiunt, eorumque animi, ut ita dicam, cum praeceptis, monitionibus, consolationibusque coalescunt. Semper longissime ab oratoris consilio absit hominum plausum, aut gloriam sibi parandi studium. Quamvis auditores, ad quos dicit, vehementer pulchrae rerum formae dediti sint, nequa-

---

(1) Idem fere Bogaers: „De ware uitwendige welsprekendheid is wezenlijk niets anders, dan het getrouwe zinnelijke afbeeldsel van de inwendige; zij is het schoone ligchaam, dat alle kracht derft, zoo er geene ziel in woont." Conss. quae monuit p. 218, 219.

(2) *Oratio laud.* p. 17 coll. cum iis, quae monuit p. 20. Vid. porro Bogaers: l. l. p. 429 sqq.

(3) *Instit. Orat.* L. XI. c. 3. § 181.

quam tamen aetatis suae indoli obsequetur, ubi haec nimia postulat. Eatenus tantum ei inserviet, quatenus sancto consilio orationum suarum utile ac salutare esse possit. Nullo modo ei fas est sensus corrumpere, cupiditates incendere, phantasiam opprimere atque ita agendo auditores suos, exaggeratis sententiis obscurisque imaginibus abreptos, tanquam machinas ad se trahere.

Hanc ob caussam corporis eloquentia certis semper circumscribatur limitibus. Vidimus enim, quomodo Dominus quoque fertilitatem viresque ingenii sui coercuerit. Plane igitur ei interdictum est, ardentibus verbis ac scenicis gestibus gratiam et laudem sibi captare. Veritatis, persuasionis vis, muneris sancti, quod ei mandatum est, sensus, materiae tractandae amor, piaque cupiditas, ut Evangelium, quod denunciat, summo auspice Deo, e pectore ad pectora penetret, praecipuum esse debet propositum, quo tendat in hac quoque causa sacrorum Antistes. (1)

---

(1) His dictis breviter, sed satis perspicue respondisse optamus ad quaestionem, quam nobis proposuimus. Ad species descendere de voce ac pronuntiatione, de vultu ac gestibus, vel de corporis habitu non hujus esse loci credo. Quid? quod omnia, quae de his virtutibus, ratione habita Christi exempli, afferre potuissemus, longe inferiora fuissent iis, quae Ewaldus et Clarissius: *Over de uiterlijke kanselwelspr.*, A. de Roosmalen: *l'Orateur*, - Schrantius in annot. 30-35 ad Fénelonii librum, et Lulofsius: *over de Declamatie*, monuerunt. Cf. etiam v. Oordt: *Or. l.* p. 19. De quorundam oratorum sacrorum voce ululante cons. Theremin: *Ber. e. Tug.* (Vor-

Summum Patris honorem augendi hominesque servandi ac beandi studium èt oculis èt voce èt gestibus èt habitu significari oportet. Haec sola cupiditas verbis ejus viam ad animos muniat, iisque vim addat invictam. Hoc vero studio, hac cupiditate destitutus orator sacer ineptus evadat declamator aut histrio de scena necesse est, - hisce autem ornatus, re vera imitator Christi, Evangelii nuncius dici potest. (1)

Hoc studium, haec mens apud omnes incendatur, qui operentur in Domini ministerio, ut sua Evangelii denunciatione auditorum animos coelorum regno concilient. Quae mens, quod studium efficiat, ut unusquisque ita loquatur, prouti Magister aliquando locutus est, sancto nempe cum animi ardore pro Patris honore aeternaque generis humani salute.

rede p. 32-34); de vera in suggestu sacro corporis eloquentia vid. N. G. van Kampen: *het kenm. ondersch. d. soort. v. Welspr.* p. 44, 45 et praeterea p. 120 sqq.

(1) Haec eximie exposuit Bogaers: l. l. p. 284 sqq.

QUAESTIONES.

QUAESTIONES.

I.

Orator est vir bonus dicendi peritus.
Quinctilianus: *Instit. Orat.* XII: 1, 44.

II.

Verbis clar. Abm^i^ des Amorie van der Hoeven: (*Joannes Chrysostomus*, p. 32): »*Gelijk de Wijsgeer op het Verstand, de Dichter op het Gevoel, zoo werkt de Redenaar door Verstand en Gevoel beide op de inwendige kracht van den Wil*", vera exprimitur eloquentiae natura.

III.

Haudquaquam ex Paulli verbis in utraque ad Corinthios epistola (1 *Cor.* I: 17; II: 1 seqq.; 2 *Cor.* XI: 6) effici potest, eloquentiam vere ita dictam a suggestu sacro esse semovendam.

IV.

Neque ex Ejusdem effato: 1 *Cor.* III: 7: *ὥστε οὔτε ὁ φυτεύων ἐστί τι, οὔτε ὁ ποτίζων, ἀλλ' ὁ αὐξάνων Θεὸς*, omne Eloquentiae sacrae studium esse supervacuum, duci potest.

V.

Verba, 2 *Cor.* III: 18: *τὴν αὐτὴν εἰκόνα μεταμορφούμεθα* Belgice haud reddenda esse videntur: »*worden naar hetzelve beeld in gedaante veranderd*," ut supplendum sit *κατὰ*, quam apud nos receptam versionem Palmius secutus est; sed potius cum Calvino: *in eandem imaginem transformamur*, quam interpretationem ét Gallica versio: *transformés en la même image*, èt Grotius aliique interpretes recentissimi merito receperunt.

VI.

Vaticinium Jesaiae, quod invenitur *Cap.* IX: 5, sq., re vera ad Messiam referendum esse censeo.

VII.

Doctrinae, quam Paullus tuetur: *Rom.* III: 19-28; IV: 2-6; *Gal.* II: 16; III: 11 tam parum repugnat doctrina Jacobi: *Epist.* II: 14-26, ut haud alia, quam quae hoc loco legimus, scripturus fuisset Paullus, si ad eos scripsisset, quibus suam epistolam misit Jacobus.

VIII.

Libri Symbolici Ecclesiae Reformatae Nederlandicae non sunt norma, sed forma fidei; non imprimunt a nobis credenda, sed exprimunt a nobis credita.

IX.

Canones Dordraceni merito ad libros Symbolicos ejusdem Ecclesiae pertinere censentur.

X.

Egregie Justinus *Martyr* (*Apol.* II. c. 7.): *Γεννητοῦ παντὸς ἥδε ἡ φύσις, κακίας καὶ ἀρετῆς δεκτικὸν εἶναι· οὐ γὰρ ἂν ἦν ἐπαινετὸν οὐδὲν αὐτῶν, εἰ οὐκ ἂν ἐπ' ἀμφότερα τρέπεσθαι, καὶ δύναμιν εἶχε.* Tom. I. P. I. p. 186. *ed.* J. C. T. Otto.

XI.

Heerenii sententiae: *Ein Volk mit einer Religion, wie die der Griechen, musste entweder gar nicht philosophiren, oder die Philosophie musste auch die Nichtigkeit der Volksreligion wahrnehmen.*" *Ideen*, Th. VI, p. 432, 433, calculum adjicimus.

XII.

Oratori sacro non tantum coram auditoribus sed ad auditores dicendum, imo etiam cum iis agendum esse, contendimus.

XIII.

Pastoris, Doctoris Oratorisque sacri munera in Ecclesia Christiana tam inter se invicem sunt conjuncta, ut, qui unum eorum negligit, alterius etiam prosperum successum jure exspectare nequeat.

XIV.

»*Il en est de l'improvisation, disait quelqu'un, comme de l'art de nager: quiconque ose nager, nage, quiconque ose improviser, improvise.*" Cui comparationi cum Bungenero haec adjicienda esse contendimus: »*Avec cette différence pourtant, que plus vous nagerez, mieux vous nagerez; tandis qu'il pourra se faire que, plus vous improviserez, plus vous serez un mauvais orateur.*"

Un Sermon sous Louis XIV: p. 233.

AAN MIJN VRIEND

W. B. J. VAN EYK,

BIJ ZIJNE

BEVORDERING TOT DOCTOR IN DE GODGELEERDHEID,

NA DE VOLTOOIJING VAN ZIJN PROEFSCHRIFT:

DE JESU CHRISTI ELOQUENTIA,

ORATORI SACRO IMITANDA.

Gevormd naar 't beeld van God, die heemlen schiep en aarde,
Wat gave ontving de mensch van meerder, reiner waarde,
Wat zaalger deel uit hooger oord,
Dan in die sprank der Kracht, waar 't maatloos Niet voor zwichtte,
Die op der Almagt wenk haar scheppingswondren stichtte —
De Kracht, de Godsgaaf van HET WOORD!

Die goddelijke kiem geplant in ons geslachte,
Het Zwaard des Geestes, de Verlosser der Gedachte,
Wies tot een boom der Kennisse op;
En in zijn schaduw wordt door natiën en tongen
In duizend talen 't lied ter eer van Hem gezongen,
Wiens adem suizelt in den top.

Dat is het Woord waarmêe, waarin, waardoor wij roemen,
God! onzen Vader U — en menschen broeders noemen,
Het Woord dat blijft in eeuwigheid;
Dat, als de bron der kracht, waarvoor we aanbiddend knielen,
Kan scheppen, vormen, onderhouden en bezielen,
Zelf ook een kracht tot zaligheid.

Gezegend wien 't geschiedt die gave Gods te ontvangen,
Te woekren met 't talent in liedren en in zangen,
In leering, stichting, vrede en troost;
Gezegend wien 't gewordt op aarde een woord te spreken,
Bevruchtend heengevoerd tot 's werelds verste streken,
Zaad tot een heuchelijken oogst!

Maar meer gezegend wie, van ijdlen waan ontheven,
De roeping in zich voelt naar hooger doel te streven,
Dan gunstbejag en menschenlof;
Wie eigen roem en eer ootmoedig niets wil achten,
Om slechts de woorden Gods, als tolk van Zijn gedachten,
Te spreken tot den zoon van 't stof.

—

En dat, dat zij Uw deel! — o spreek het woord des Heeren,
Het Woord dat levend maakt en zondaars kan bekeeren,
O spreek dat Woord van licht en kracht!
Hetzij Ge als liefdeboô den zoen die ons ontzondigt,
Of, straffend boetgezant, het oordeel Gods verkondigt
Dat den verstokten zondaar wacht.

Dan zal Gods zegen U, Uw woord en werk bekroonen,
Het uitgestrooide zaad zijn vruchtbre kracht betoonen
In 't hart dat lief heeft en gelooft!
Zóó kreeg voor eeuwen, in de volheid van Gods tijden,
Zijn Woord gestaltenis in Hem, dien wij belijden
Als onzen Heiland, Heer en Hoofd!

UTRECHT
15 Maart 1851.

F. J. N. BROUWER.